



S. Alfonso M. de' Liguori

NAPOLI, 27. IX. 1696 — PAGANI, 1. VIII. 1787

Canonizatus, 26. V. 1839

Doctor Ecclesiae declaratus, 23. III. 1871

OPERA MORALIA

S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO

DOCTORIS ECCLESIAE

I.

OPERA MORALIA
SANCTI ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO
DOCTORIS ECCLESIAE

I.

THEOLOGIA MORALIS
EDITIO NOVA

CUM ANTIQUIS EDITIONIBUS DILIGENTER COLLATA
IN SINGULIS AUCTORUM ALLEGATIONIBUS RECOGNITA
NOTISQUE CRITICIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATA

CURA ET STUDIO

P. LEONARDI GAUDÉ

E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS

TOMUS PRIMUS

COMPLECTENS
TRACTATUS DE CONSCIENTIA, DE LEGIBUS, DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS,
ET DE PRIMIS SEX DECALOGI PRAECEPTIS

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA

MDCCCCV

*Editio photomechanica
Sumpitibus CseR. 1953*

PRAEFATIO EDITIONIS PHOTOMECHANICAE

APPROBATIO

Libentissime annuimus ut operis inscripti: „*Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio Doctoris Ecclesiae Theologiae Moralis, editio nova, cum antiquis editionibus diligenter collata, in singulis auctorum allegationibus recognita notisque criticis et commentariis illustrata, cura et studio P. Leonardi Gaudé e Congregatione Sanctissimi Redemptoris*“ fiat redditio arte photomechanica.

Romae, ad S. Alfonsi, die 5 maii 1953.

LEONARDUS BUYS
*Congregationis Ssmi Redemptoris
Superior Generalis et Rector Maior*

IMPRIMATVR:
Curia episc. Seccovien.

Nr. 3287.

Graecii, die 23 Junii 1953.

† FERDINANDUS

Nova, quam proponimus, editio Theologiae Moralis S. Alphonsi de Ligorio necessaria evasit, quia ultima, anno 1905—1912 facta, iamdudum exhausta est. Diutius morari, opus istud praestantissimum Theologiae Moralis cultoribus contemporaneis accessu facile reddere, non amplius possibile visum est, eo praesertim quod, post tot approbationes doctrinae ejus a summa Ecclesiae Dei auctoritate expressis verbis vel implicite datas, hisce temporibus maximo honore affectus est sanctus Scriptor, cum die 26 Aprilis anni 1950 a Summo Pontifice Pio PP. XII Brevi Apostolico *Consueverunt omni tempore »omnium Confessariorum et Moralistarum coelestis apud Deum Patronus« declaratus est*. Studio theologiae moralis caeteroquin ultimis temporibus magis efflorescente, S. Alphonsus tamquam auctor primarius prae manibus habendus est et quidem in hac editione quae cum summa diligentia, jure meritoque a peritis universaliter laudata, sub cura R. P. Leonardi Gaudé CssR. peracta est. Haec enim editio non tantum fideliter textum definitivum Sancti Doctoris cum evolutione suae doctrine praestat, sed etiam ratione adnotationis suae copiosae ac eruditiae in re historica theologiae moralis saec. XVIII maximi est valoris.

Optima intentione R. P. Gaudé voluit librum ad suae aetatis rationem quodammodo componere, praesertim adjungendo notulas de jure recenti nec non decreta et declarationes, sed etiam inserendo longiores annotationes de problematis nondum tempore S. Alphonsi plene discussis. Haec additamenta pro bona parte materialiter aut

saltem formaliter non amplius correspondent cum statu scientiae et juris hodierni ideoque melius ex libro eliminarentur. Sed »quod abundat non nocet« et cum jam tempus urgeat ut iterum opus in promptum accessum sit, idque pretio non aequo maiore, lectoribus offerimus hanc editionem photomechanicam, quae reproductio, quamquam artis suaे indole mutationes et emendationes non admittens tamen proprie ex hoc necessitatibus eruditorum optime consultit ratione modici pretii.

Haec editio, Doctore zelantissimo ac Moralista mitissimo intercedente, ad Dei honorem augendum, Christi regnum firmandum, animasque salvificandas contribuat, toto corde exoptamus.

Romae, ad S. Alphonsi
in die festo S. Patris Nostri, 2. Aug. 1953.

André M. SAMPERS CssR.

Prot. 75/1950

PIUS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Consueverunt omni tempore Romani Pontifices singulis Christifidelium coetibus, peculiariis vitae christianaे munera sive officia impletib; tamquam speciales Patronos illos adsignare beatos coelites, qui, in iisdem muneribus et officiis, cum viverent, perfungendis, maxime excelluerint, ut eorundem coelestium Protectorum valido utantur auxilio et praeclara sequantur monita et exempla. Decessorum Nostrorum vestigia prementes Nosmet Ipsi, inde ab inito Summo Pontificatu; plures dedimus sive Sacerdotum sives fidelium coetibus et sodalitatibus singulares Patronos. Quos inter: S. Albertum Magnum scientiarum naturalium cultoribus; S. Franciscum a Paula Italicae genti rei maritimae deditae; SS. Catharinam Virginem Senensem et Catharinam Viduam Januensem italicis mulieribus infirmis ministrantibus et nosocomiis; S. Joannem Bosco Catholicae Sodalitati Editorum ex Italia; S. Josephum Calasanctium omnibus scholis popularibus ubique exsistentibus; Beatissimam Deiparam, «Virginem Fidelem» invocatam, italicis militibus a publica tutela seu v. «Carabinieri»; S. Michaëlem Archangelum publicae securitatis in Italia custodibus. Inde exorta est quaedam inter alios coetus laudabilis aemulatio ut etiam unicuique ex eis Sanctum aliquem adsignarremus cuius peculiari apud Deum patrocinio inniti valerent et ad cuius virtutes imitandas speciali modo excitarentur. Sic factum est ut nonnulli S. R. E. Patres Cardinales, Archiepiscopi et Episcopi quamplurimi, Supremi Religiosorum Sodalium Moderatores et Institutorum studiis provehendis Rectores clarissimi, necnon Theologiae Moralis cultores et magistri vota deppromperint ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio, Episcopum Confessorem et Ecclesiae Doctorem, Sacerdotum omnium qui Confessarii gravissimo et saluberrimo munere funguntur, necnon eorum qui Theologiae

Morali tradendae verbo et scriptis quomodocumque dant operam, coelestem apud Deum Patronum constituere dignaremur. Quibus votis satisfacere non dubitavimus cum neminem lateat S. Alphonsum, qua divini verbi indefatigatum saturem, in excipiendis fidelium confessionibus, doctrina, prudentia, assiduitate, patientia mirifice excelluisse et, qua Episcopum, in dioecesi S. Agathae Gothorum, quam sanctissime gubernavit, plurimos Sacramenti Poenitentiae administratos optime informasse atque ipsum in sacro tribunali admissis expiandis assidere frequentissime voluisse. Immo, Sodalibus a SSmo Redemptore a se in Congregationem adlectis, munus audiendi confessiones, quasi praecipuum commisit. Doctrinam denique moralem et pastoralem confessariis instituendis et dirigendis ore et scriptis tradidit eximiam, in toto orbe catholico ad hanc usque aetatem probatissimam et a Summis Pontificibus quasi tutam Sacramenti Poenitentiae administrorum animarumque moderatorum normam saepe ac graviter commendatam. Pius enim IX, Decessor Noster sa. me. in decreto Urbis et Orbis diei XXIII m. Martii a. MDCCCLXXI, quo Sanctum Alphonsum Ecclesiae Doctorem proclamavit, asserere non dubitavit: « Ipse errorum tenebras, ab incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis operibus maximeque Theologiae Moralis tractationibus disputit atque dimovit ». Nec multo post idem Pontifex in Litteris Apostolicis sub anulo Piscatoris datis die VII Julii, eodem anno, quibus majori cultui Sancti Doctoris consuluit, haec scripsit: « Neque enim providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est, ut, cum Jansenistarum doctrina novatorum oculos in se converteret errorisque specie multos alliceret ageretque transversos, tunc potissime extaret Alphonsus Maria de Ligorio qui... scriptis doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam et ab agro Dominico exterminandam curaret ».

Et Leo XIII in epistola ad Episcopos Italiae data die VIII Decembris an. MCMII, S. Alphonsum vocat clarissimum et mitissimum inter Theologos rei moralis, sicut antea de doctrina morum a S. Alphonso tradita est elocutus: « Ubique terrarum esse celebratissimam tutamque praebere normam, quam conscientiae moderatores sequantur ». Quae confirmavit Pius X in epistola quam anno MCMV scripsit ad P. Gaudé editorem Theologiae Moralis. Denique proximus incomparabilis Decessor Noster Pius PP. XI in suis Litteris Encyclicis « Ad catholici sacerdotii » anno MCMLXXXV datis, cum agit de dotibus quibus Clericorum confessarii exornari debent quae ad rem faciunt verba et monita S. Alphonsi refert ad litteram. Quae omnia persuadent Nobis et quodammodo Nos impellunt ut tot et tantis vocibus quasi hymnum concinentibus in laudem Divi Alphonsi et Nostram jungamus. Propitiam itaque nacti occasionem secundi expleti saeculi a celebratissimo opere de Morali Theologia primum in lucem edito, enixis humilibusque annuentes precibus dilecti filii hodierni Rectoris Majoris Congregationis a SS. Redemptore ejusdemque Sodalium omnium, auditio quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente S. R. E. Cardinali Micara, Episcopo Velterno, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, perpetuumque in modum, Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio, Episcopum, Confessorem et Ecclesiae Doctorem, omnium Confessariorum ac Moralistarum coelestem apud Deum Patronum eligimus ac constituimus, omnibus et singulis honoribus et privilegiis liturgicis adjectis quae Coetuum Patronis rite competunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO X

PONTIFICI MAXIMO

Beatissime Pater,

*spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum suffragari; sicque rite
judicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quid-
quam, secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter
attentari contigerit. Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Fiscatoris,
die XXVI mensis Aprilis, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.*

L.  S.

*De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
Officium Regens Pontificis Diplomatibus expediendis.*

Opus Theologiae moralis, quod olim S. Alphonsus Benedicto XIV nuncupaverat, nunc denuo recusum humilis Alphonsi filius ad Benedicti successorem deferre ausus est, spe fretus id Illi non minus gratum fore et acceptum.

Liber enim qui regulas morum tenendas tradit, qui vitanda peccata recenset, qui servandae aut recuperandae gratiae vias explanat, Tibi soli, Beatissime Pater, dicandus esse videtur, qui toto vitae decursu in curam pastoralem, tanto zelo tantaque caritate incubuisti. Inter haec pastoris munera, quibus summa omnium laude functus es, animarum morbos et vulnera quotidie tractasti, earumque necessitates quascumque Tuis inspexisti oculis, singulisque malis adhibuisti remedium. Qua quidem via, Dei providentia, quae cuncta sapienter ac suaviter disponit, Te veluti per gradus in supremos ordines adducebat. Vix autem ad summae dignitatis fastigium evectus, quidquid experientia didiceras, pro Tua in gregem Christi suprema auctoritate, in opere tentasti. Quod propheta de Redemptore vaticinatus est, de Te ipso dici potest: *Zelus domus tuae comedit me.* Honorem ac decorem Ecclesiae diligentissime custodis, illius, inquam, Ecclesiae, quae est immortalis Christi sponsa, sine ruga et sine macula. In vitiis corrigendis, personarum nescis acceptionem, sed nec linum fumigans extinguis, mansuetudinem fortitudini consocians, uti decet Vicarium Jesu Salvatoris, qui dicitur et est Agnus Dei, idemque Leo de tribu Juda. Errores indefessa

sollicitudine dissipas, lupos a grege arcere non desinis, oves Tibi concreditas, a venenatis remotas pascuis, ad pascua vitae perducis.

Firmum Tibi est propositum ut Christus vincat, iterum regnet et gentes sub imperium suum reducat: at quomodo, Beatissime Pater, Christus in orbe regnare possit, nisi primum in animis et cordibus hominum per peccati deletionem, per virtutum exercitium regnet? Hic igitur Tibi dicandus erat liber, qui Doctoris studiosissimi Alphonsi documenta et instituta exponens, normas tutissimas tradit, quibus Christus in cordibus habitare ac vivere queat.

Alia quoque ratione alioque jure liber iste Tuus est, Beatissime Pater. Filii enim, quo patrem acerbioribus persecutionibus propter Deum et jura Ecclesiae vindicanda obnoxium vident, eo studiosius eumdem colere debent, diligere, solari, eique operum primitias pie offerre.

In hac porro editione textum S. Alphonsi fideliter exscripsi, nec quidquam in ipso corrigendum existimavi, nisi quod inadvertentiae tribuendum aperte videretur. Singulas ac pene innumeras auctorum allegationes ex ipsis fontibus recognovi; et si quas, aut subobscuras, aut minus accuratas, aut etiam falsas reperi, id in notis subjectis, quantum per vires licuit, diligenter explicavi. Si quando S. Doctorem non constanter loquentem deprehendi, sententiam tempore posteriorem seligendam esse duxi, quippe quae menti ejus, maturius rem consideranti, responderet. Ubi tandem S. Ecclesia,

vel per Romanos Pontifices, vel per Sacras Congregationes, moralem disciplinam immutavit, id sedulo notavi, eadem religione qua Alphonsus ipse fecisset, firmiter credens id tantum pro vero habendum esse, quod Petrus in Ecclesia tenet ac docet.

Hoc meum opus, quod Sacratissimo Jesu Christi Cordi quotidie consecravi, nunc ad pedes Tuos, Beatissime Pater, humillime depono. Tu es veri ac falsi, boni ac mali, justi atque injusti arbiter supremus et inerrans; quidquid igitur in eo probatum Tibi aut toleratum fuerit, id probatum sit et toleratum; quidquid vero reprobareris aut damnaveris, id omne reprobatum ac damnatum mente et corde volo.

Noli, Beatissime Pater, filii obsequium designari, sed oblatum munus, qualecumque sit, pro Tua paterna benignitate, acceptum habe. Si benedictio Tua libro accesserit, accedit ipsa Dei gratia, quae animabus illum reddit frugiferum; eademque benedictio in me tandem descendat, qui, ad pedes Tuos advolutus, summa pietate permaneo,

Beatissime Pater, Sanctitatis Tuae

Humillimus, obsequentissimus, fidelissimus servus ac filius
LEONARDUS GAUDÉ
e Congregatione SS^{mi} Redemptoris.

DILECTO FILIO

LEONARDO GAUDÉ

SACERDOTI E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS

PIVS PP. X

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. Sancti Doctoris Alfonsi de Ligorio ea est in Ecclesia Dei existimatio atque laus, ut vel id unum sufficeret, cur novam Nos editionem Theologiae Moralis Alfonsianae Nostro Nomini dicandam libentissime permitteremus. Verum ut id peculiari modo editioni huic tuae concedamus, plura faciunt, quibus eadem jure merito Typica exinde appellari queat. Scimus, Dilecte Fili, decem et octo annos ipsos in ea apparanda diligentissimis curis te impendisse: sed labores tuos evenisse feliciter gratulari profecto potes. Praeter enim quam quod testimonia auctorum universa, quae a Sancto Doctore afferuntur, ad trutinam ex ipsis fontibus revocasti; sententias ipsas S. Alfonsi, ex acri collatione singularum antecedentium editionum ceterorumque moralium ipsius operum, sic excussisti subtilique iudicio comparasti, ut nihil fere sit modo culibet dubitandum, quid in unaquaque morum quaestione Alfonsus sit demum amplexus supremaque aetate defenderit. Opus igitur perfecisti, Dilecte Fili, quam quod utile et sapientium omnium

PRAEFATIO EDITORIS

laudatione dignum. Cum enim theologia morum magnam scientiae partem constituat quae Sacerdoti ad officium explendum est necessaria; gratias tibi omnes habere oportet, qui S. Doctoris, quem tuto omnes in morum doctrinis sequi possunt, mentem apertius ostenderis, sententiasque, securius quam nunquam alias, determinaveris. Librum idcirco Nostro Nomini inscriptum volenti animo accipimus: studio tuo laudem promeritam amplissime imperimus: utque diurni laboris praemium ne desit, caelestium munerum ubertatem tibi a Domino adprecamur; ejusque auspicem, Apostolicam benedictionem peramanter imperimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XII Junii Anno MCMV, Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X

Nova Theologiae moralis S. Alphonsi editio, quae jam a pluribus annis in multorum votis erat, nunc tandem in lucem editur. In ea, uti titulus ipse praefatur, singulae auctorum allegationes diligenter recognitae habentur, textus omnis cum antiquis ejusdem operis editionibus collatus est; et referuntur praeterea quaecumque a S. Sede in re morali recentius addita vel immutata fuerunt.

Omnibus compertum est, vivo S. Doctore, Theologiam ejus moralem novem vicibus in lucem prodūsse. Prima editio, Neapoli anno 1748 facta, unoque volumine, quod vocant in 4°, comprehensa, nihil aliud erat, quam liber Hermanni Busembaum, *Medulla theologiae moralis*, cui S. Alphonsus, post singula dubia, notas aliquas intexit, nunc breviores, nunc vero prolixiores, prout rei gravitas aut difficultas postulare sibi videbatur. Earum notarum materiam ex aliis auctoribus mutuatus est S. Doctor: « Alia explicanda, inquit in praefatione, alia addenda censui ex diversis probatorum DD. auctoritatibus ». Notae istae dupli serie continentur: una scilicet litteris parvis a, b, c, etc., signata; majoribus vero litteris A, B, C, etc., altera: litteris parvis indicantur notulae breviores, in quibus saepe solum traduntur auctorum nomina qui doctrinam expositam tenuerunt; litteris autem majoribus, indicantur notae illae quae fusius de re aliqua tractant vel subtilius in utramque partem disputant. At praeter notas istas, plures appendices a S. Doctore huic editioni additae sunt: una scilicet, jam ab operis initio, quam inscripsit. *Quaedam animadvertisenda*, cuius quidem rationem his verbis exponit: « Postquam has meas adnotationes typis demandavi, nonnullas sanctiones, quarum notitia antea mihi non occurserat, inveni; ideo ipsas hic addere opus esse existimavi ». Deinde in cap. de Excom., dub. IV, art. III: *Brevis dissertatio super censuris circa Immaculatam B. Virginis Mariae Conceptionem*, in qua non solum de censuris tractat, sed etiam omnibus nervis propugnat ipsam sententiam, quae asserit B. V. Mariam in ipsa sua conceptione ab omni peccati originalis labie immunem fuisse. In calce

Prima editio
Theologiae morali.
fis.

libri habentur *Nonnullae* (scilicet sex) *quaestiones miscellaneae praetermissae*; deinde *Expiatio a nonnullis in me disseminatis columnis ob epistolam super maledictionem in defunctos editam*. Sequuntur dein propositiones damnatae, quaedam pontificia decreta et casus reservati in Neapolitana dioecesi. Post indicem vero alphabeticum ponitur *Praxis interrogacionum magis obviarum in excipiendo rusticorum confessionibus*, quam initio libri, S. Doctor vocat « utilem non tantum pro eis interrogandis, sed etiam pro judicio formando et poenitentia injungenda ». Denique totum librum concludit: *Brevis dissertatione super propos. 29 damnatam ab Alexandro VIII*, quae dicebat: Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

Causa vero cur S. Alphonsus Hermannum Busembaum veluti ducem elegerit, ejusque librum tamquam commentarii materiam selegerit, haec fuit, quod, ut ipse ait in praefatione, « *praeclera methodo paucis omnia magis scitu necessaria colligens, non modicam supellectilem parat* ».

Opus dicatum est Archiepiscopo Compsano, Josepho Nicolai, qui de S. Auctore ejusque Congregatione optime meritus erat; et inscribitur: *Medulla theologiae moralis R. P. Hermanni Busembaum Societatis Jesu Theologi, cum adnotationibus per Rev. P. Alphonsum de Ligorio, Rectorem majorem Congregationis SS. Salvatoris, adjunctis post dubia seu articulos praefati auctoris, ubi operae pretium visum fuit, juxta literas alphabeticis ordine ibi interjectas: Accedunt in calce libri propositiones damnatae necnon omnes Epistolae encyclicae et pontificia de cunctis spectantia S. D. N. Benedicti PP. XIV, quae insuper omnia propriis in locis opportune adnotantur, una cum duobus uberrimis indicibus, ad usum juvenum praefatae Congregationis. Opus dicatum Illmo et Revmo Domino D. Josepho Nicolai Archiepiscopo Compsano, SS. Dni Nostri praelato domestico ac pontificio solo assistenti, Baroni oppidorum S. Andreae et S. Mennae atque utili domino feudi Palirotundi. — Neapoli 1748, apud Alexium Pellechium. Superiorum permisso. Expensis D. Joannis Oliverii* ¹. 1 vol. in 4°, complectens columnas 1032, praeter titulum, praefationem, epistolam nuncupatoriam, indices, propositiones damnatas et ea quae post haec reperiuntur.

Secunda editio, quae duabus tomis continetur, et longe majoris est molis, Neapoli pariter prodit, annis 1753-1755. In ea, sicuti fecerat in antecedenti, S. Alphonsus textum Hermanni Busembaum commentandum suscepit: sed notae multo ampliores sunt, nec signantur jam alphabeti litteris; sunt etiam ab ipso textu independentes, ita ut opus videatur S. Alphonsi proprium, ab

Secunda
editio a pri-
me longe
differt.

¹ Verisimile est, ne certum dicatur, hunc Joannem Oliverium, cuius expensis opus typis mandatum est, illum fuisse virum, qui primo vitis omnino deditus, ad Deum et vitam christianam per Alphonsum mirabiliter conversus est, quocum deinceps S. Auctor singulari quadam ac sancta amicitia devinctus est, et cui animam efflanti adstitit. Cfr. August. Berthe. S. Alfonso de Liguori, lib. I, cap. 6, n. 72 et lib. II, cap. 17, n. 371.

opere Hermanni omnino distinctum. Et licet deinde S. Doctor opus suum ad ultimas usque editiones continuo perpoliverit, illud tamen jam ab hac secunda editione ad tantam perfectionem adduxit, ut operi quoad universam sui rationem nihil deesse videatur. Atque hinc est, cur in ulterioribus editionibus quaestiones tantum peculiares ad trutinam passim revocari, easque sigillatim, sive addendo, sive reformando, sive demum magis explanando immutari.

Inscribitur haec secunda editio: *Theologia moralis concinnata a R. P. Alphonso de Ligorio, Rectore majore Congregationis SS. Redemptoris, per appendices in Medullam R. P. Hermanni Busembaum, Societatis Jesu, adjunctis in calce tomis secundi Epistolis encyclicis et decretis ad mores spectantibus S. D. N. Benedicti PP. XIV. Quae insuper propriis in locis opportune adnotantur, addita quoque perutili Instructione ad proximam confessariorum, ad usum studiosae juventutis praefatae Congregationis. — Editio secunda, in pluribus melius explicata, uberius locupletata, utilibus adiecta quaestiones, ac quoad plures sententias reformata, dicata SS. regnanti Papae D. N. Benedicto XIV. Neapoli 1753-1755. Ex typographia Johannis de Simone. Superiorum permisso. 2 vol. in 4°. Tomus primus (1753) complectitur pagin. 714, praeter titulum, epistolam nuncupatoriam, praefationem, elenchum quaest. reform. et indicem analyticum; tomus secundus (1755) pagin. 760, praeter titulum, elenchum quaest. reform. et indicem analyticum.*

De ista editione ita loquitur S. Alphonsus in epistola nuncupatoria ad Benedictum XIV: « Opus Deo juvante coepi et absolvī...; quod cum universe fuerit acceptum, rursusque debuerit publici juris fieri, in meliorem ordinem redigi, diligentius quibusdam doctrinis enucleatis, compluribus aliis adjectis, additisque insuper aliquibus dissertationibus de infallibilitate definitionum pontificiarum et de earumdem supra concilia superioritate ¹ ». Et in praefatione ad lectorem: « Opus absolvī [scil. primam editionem]; sed quia nimis festinanter fuit illud typis demandatum, ut aliis satisfacerem, mihi non satisfeci; plura enim in eo vel non bene excussa exciderunt, vel confuso ordine fuerunt exposita. Idcirco cum ea diligentiore examine necnon clariore methodo indigere animadvertissem, animum ad hanc secundam editionem applicui, in qua ad meliorem ordinem omnia redigere curavi, et utilissimis doctrinis librum copiosorem reddere. Nonnullas etiam quaestiones (temporis decursu rebus ad seduliorem trutinam revocatis), hominem me agnoscent, reformavi ² ».

Inscriptio
secundae e-
ditionis.

Quid in ea
praestiterit
S. Alphon-
sus.

¹ Dissertatione ista jam habebatur in prima editione, sed aliquanto brevior, et in calce libri; dum in hac secunda uberior est, et inseritur tractatui de Legibus, a n. 110 ad n. 135.

² Series quaestionum reformatarum primo tomo praefixa quaestiones 58 complectitur, et inscribitur: « Elenchus quaestionum, in quibus auctor, post primam hujus libri editionem, rebus hic ad novam trutinam revocatis et rationibus accuratis perpensis, aut se retractavit aut aliqua in melius reformat. In qualibet autem harum quaestionum, prius adnotatur locus libri primae editionis, postmodum locus hujus secundae, ubi facta est correctio ». — Illi vero quae secundo tomo praefixa habentur, titulus est: « Elenchus retractionum sententiarum in prima editione relatatarum ». Et complectitur quaestiones 41.

Tertia edi-

Tertia editio Venetiis prodiit anno 1757, tribus tomis in folio constans; sed editor titulum operis eo modo immutavit, ut Hermanni Busembaum nomen praecipuum locum obtineret, Alphonsus vero partes secundas tenere videretur. Quonam pacto quonamve fine id factum fuerit, plane nescio. Est igitur hujus editionis inscriptio: *R. P. Hermanni Busembaum, Societatis Jesu, Theologia moralis, nunc pluribus partibus aucta a R. P. D. Alphonso de Ligorio, Rectore majore Congregationis SS. Redemptoris, adjuncta in calce operis, praeter indicem rerum et verborum locupletissimum, perutili Instructione ad praxim confessariorum, nunc primum latine reddita.* — *Editio post duas Neapolitanas prima Veneta. Quae praeter reformationem quam includit in secunda editione plurium opinionum in prima contentarum, accuratius est mendis expurgata novisque doctrinis adiecta. Accedit etiam nunc primum R. P. Francisci Antonii Zachariae, S. J., Bibliothecae Estensis praefecti, Dissertatio prolegomena de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia. Romae 1757. Sumptibus Remondinianis. Superiorum permisso ac privilegio.* — Tomus primus continet pag. LX-262, praeter titulum, praefationem, epistolam nuncupatoriam et indices; tomus secundus complectitur pag. XVI-287; tertius vero tomus, pag. VIII-223.

Quarta edi-

Quarta editio, quae Venetiis similiter, constans tribus tomis in folio, prodiit, anno 1760 publici juris facta est; et inscribitur fere ut editio praecedens: *R. P. Hermanni Busembaum S. J. Theologia moralis, nunc pluribus partibus aucta a R. P. D. Alphonso de Ligorio, Rectore majore Congregationis SS. Redemptoris, adjuncta in calce operis, praeter indicem rerum et verborum locupletissimum, perutili Instructione ad praxim confessariorum.* — *Editio quarta, accuratius a mendis expurgata, novisque doctrinis et nunquam antea editis Tractatibus, nempe de Dispensationibus S. Poenitentiariae, de Privilegiis, de Prohibitione librorum, de Examine ordinandorum ab auctore ipso nunc primum locupletata. Accedit etiam R. P. Francisci Antonii Zachariae, S. J., bibliothecae Estensis praefecti, Dissertatio prolegomena de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia. Romae 1760. Sumptibus Remondinianis. Superiorum permisso ac privilegio.* — Tomus primus complectitur paginas LX-284, praeter titulum et epistolam nuncupatoriam; tomus secundus, XVI-280; tomus tertius, VIII-204.

Editio ista, praeter appendices quarum series in titulo explicatur, continet etiam in fine tomii tertii Epitomen doctrinae moralis et canonicae Benedicti XIV, a Joanne Dominico Mansi exaratam.

Iterum habetur in hac quarta editione Elenchus quaestionum reformatarum, quem S. Alphonsus secundae editioni primum addiderat, sed qui in tertia desiderabatur. Hic vero post praefationem ponitur, et unica serie exhibet nonaginta novem quaestiones reformatas.

Sed neque unus est titulus omnium exemplariorum hujuscce quartae editionis; aliud enim exemplar vidi hoc modo inscriptum: *Theologia moralis*

Non unus
est titulus
quartae edi-
tionis.

R. P. D. Alphonsi de Ligorio, Rectoris majoris Congregationis SS. Redemptoris, juxta methodum Medullae R. P. Hermanni Busembaum Societatis Jesu, cuius ideo liber in hoc opere praemittitur, adjuncta in calce perutili Instructione ad praxim confessariorum. — *Editio quarta, accuratius a mendis expurgata, novisque doctrinis et nunquam antea editis Tractatibus, nempe de Dispensationibus S. Poenitentiariae, de Privilegiis, de Prohibitione librorum atque Examine ordinandorum, ab auctore ipso nunc primum locupletata. Accedit etiam Francisci Antonii Zachariae S. J. Dissertatio prolegomena de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia, necnon Joannis Dominici Mansi, Congregationis Matris Dei, Epitome doctrinae moralis et canonicae ex operibus Benedicti XIV. Bononiae 1760. Sumptibus Remondinianis. Superiorum permisso ac privilegio.*

Et haec quidem inscriptionis immutatio jussu S. Alphonsi facta fuit, ut liquet ex ejus ad Remondinium litteris, quae infra, ubi de quinta editione sermo erit, referentur.

Porro editio quinta, prima post assumptionem S. Doctoris ad episcopatum, in lucem prodiit Venetiis anno 1763 tribus tomis in folio, et in aliquibus exemplaribus ita inscribitur: *Theologia moralis Illustrissimi et Reverendissimi D. Alphonsi de Ligorio, episcopi S. Agathae Gothorum et Rectoris majoris Congregationis SS. Redemptoris, adjuncta in calce perutili Instructione ad praxim confessariorum.* — *Editio quinta, nunc demum ab auctore ipso accuratius a mendis expurgata, novisque doctrinis et nunquam antea editis Tractatibus, nempe de Dispensationibus S. Poenitentiariae, de Privilegiis, de Prohibitione librorum, Examine ordinandorum aliisque additionibus locupletata. Accedit etiam praestantissimi theologi Dissertatio prolegomena de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia, necnon Joannis Dominici Mansi, Congregationis Matris Dei, Epitome doctrinae moralis et canonicae ex Operibus Benedicti XIV, nunc primum ab eodem auctore plurimis additamentis illustrata et non uno in loco correcta. Bononiae 1763. Sumptibus Remondinianis. Superiorum permisso.* — Tomus primus complectitur paginas LXXX-276, praeter titulum et epistolam nuncupatoriam; tomus secundus, pag. XVI-270; tomus tertius, pag. 207-XXXIX.

In reliquis exemplaribus ejusdem editionis, titulus est: *Theologia moralis Illustrissimi ac Reverendissimi D. Alphonsi de Ligorio, Episcopi S. Agathae Gothorum et Rectoris majoris Congregationis SS. Redemptoris, juxta methodum Medullae R. P. Hermanni Busembaum Societatis Jesu, cuius ideo liber in hoc Opere praemittitur, adjuncta in calce perutili Instructione ad praxim confessariorum.* — *Editio quinta, etc. ut in ceteris exemplaribus.*

Hujus imputationis ac diversitatis ratio habetur ex epistola S. Doctoris, mense Julio 1763 ad Remondinium data: « Quodsi textus Busembaum adhibetur, inquit, plane necessarium erit haec verba (uti jam feci in ultima editione)

Quinta edi-
tio.Ratio di-
versitatis in
titulo.

saltem in fronte operis addenda curare: *Juxta methodum Medullae R. P. Hermanni Busembaum*¹ ». Causa autem, cur S. Alphonsus ambigeret, servandusne esset textus Busembaum an non, in eo reponenda est quod luctuosis illis temporibus, homines Ecclesiae infensi, columnis prosequerentur auctores e Societate Jesu et quoslibet alios, qui eidem Societati favere aut ab ea pendere putarentur. Quare S. Alphonsus, ut vitaret damna quae sibi accidere possent, consilium iniit, suadentibus etiam sua Congregationis sodalibus, textum Hermanni Busembaum ab opere suo prorsus expungendi, et Theologiam morallem de integro et ex proprio penu iterum scribendi. Quod quidem factum est in *Conscientiae tractatu* (sextae editioni et posterioribus inserto); sed opus sic incepit prosequi et ad finem perducere, per aetatem nimis proiectam, infirmam valetudinem curamque dioecesis sibi commissae, S. Doctori non licuit².

Atque ita quidem sexta editio, quae Venetiis anno 1767, tribus tomis in folio, prodiit, duos tractatus de *Conscientia* continet; unum scilicet, tacito auctoris nomine, qui est tractatus Busembaum, alterum vero ab ipso S. Doctore exaratum, qui res fusiori calamo exponit, ut ita³ « ea quae compendio continentur [in tractatu Busembaum] latiori stylo clariora evadant; et ea quae brevitatis studio sunt omissa, suppleantur. Ita fiet ut tractatum de *Conscientia*, quo ad universam theologiam moralem aditus aperitur, studiosi juvenes integrum habeant atque omnibus numeris absolutum. Praeterea operae pretium existimavimus hunc tractatum, ex integro a nobis elaboratum, hic apponere, una cum dissertatione de Usu moderato opinionis probabilis, quam in fine tractatus hujus invenies; eo quod ea quae olim de rebus ad conscientiam pertinentibus scripsimus, rursum revocavimus ad trutinam, ac ad meliorem clarioremque formam retulimus ».

Dissertatio ista componitur partim ex illa *Breve dissertazione dell'uso moderato dell'opinione probabile* anni 1762, latine reddita, et partim ex altera anno 1765 vulgata⁴. De praesenti autem dissertatione, die 6 Novembris 1765 ita S. Doctor ad Remondinium scripserat: « Novam hanc de opinione probabili disputationem tibi mitto; haecque in locum prioris sufficienda est. Est quidem brevior; sed multo accuratius elucubrata, et multo nervosior rerumque plenior. In ea insuper summatim reperire est, sin minus omnes, at saltem praincipias a Patutio contra me motas objectiones, cum propriis ad objections responsis. Hinc te rogatum volo, ut eam, quandoquidem valde laboriosa mihi fuit ejus

Sexta editio
duos tracta-
tus de Con-
scientia con-
tinet.

Quantum
S. Doctor
fecerit no-
rum tracta-
tum.

¹ Lettere di S. Alfonso Maria de' Liguori. Parte seconda, Corrispondenza speciale. Epist. 104.

² Op. cit. Epist. 102 et seqq.

³ S. Alphonsus, *Monitum ad Lectorem*, ante tractatum de *Conscientia*, in edit. sexta.

⁴ Quintae jam editioni dissertatione huic fere similis inserenda fuerat; at quamvis plures rogatus fuisset typographus, ut mittendam dissertationem paulisper exspectaret, operis impressionem adeo maturavit, ut adveniente altera dissertatione, jam esset ad finem perducta. De qua praepropria festinatione Alphonsus, in epistola sub die 1 Martii 1764 exarata, graviter conquestus est. — Corrispondenza speciale, epist. 106 et 122.

confectio, diligenter asserves... Est enim res singularis, quae non in aliis libris reperitur¹ ».

Quid igitur novi praeseferat haec dissertatione? Ut rite respondeatur, pauperis retro nobis redeundum est. S. Alphonsus jam ex quo primum de re morali scripsit, ac deinde toto vitae sua tempore, tutoristas praincipue et probabilioristas impugnavit; sed in prioribus sua Theologiae moralis editionibus ex parte tantum et imperfecte suum tradit systema, quod paulatim ac sensim evolvit et explicat. In secunda editione pronuntiat licitum esse usum opinionis *saltem* probabilioris; in tertia vero et quarta, licitum pariter esse affirmat usum opinionis absolute probabilis pro libertate. Excludo quintam editionem, quippe quae eamdem sententiam proponit, contra auctoris voluntatem. In sexta demum affirmat licitum esse sequi opinionem minus tutam, si sit aequa probabilis ac opposita pro lege; illicitum vero esse ulterius progressi: non licere igitur sequi opinionem minus probabilem, cum opinio quae stat pro lege est notabiliter aut certe probabilior. His circumscripta ex utraque parte limitibus, S. Alphonsi sententia praincipue quidem impugnat probabiliorismum, at simul vitat scopolos et pericula probabilismi communis; quam sententiam si postea S. Doctor magis explicaturus est, substantialiter tamen non amplius mutabit.

Sexta haec editio inscribitur: *Theologia moralis Illustrissimi ac Reverendissimi D. Alphonsi de Ligorio, episcopi S. Agathae Gothorum et Rectoris majoris Congregationis SS. Redemptoris, adjuncta in calce perutili Instructione ad proxim confessariorum, una cum Illustrissimi ac Reverendissimi Joannis Dominici Mansi, archiepiscopi Lucensis, Epitome doctrinae moralis et canonicae ex operibus Benedicti XIV, nunc primum ab eodem auctore plurimis additamentis illustrata et pluribus in locis correcta. Accedit etiam praestantissimi theologi Dissertatione prolegomena, de casuisticae theologiae originibus, locis atque praestantia. — Editio sexta novissima, in qua, praeter ea omnia quae in caeteris addita fuere, nunc primum auctor ipse plura reformavit, aliquibus sententiis clarius explicatis, aliis de novo additis, aliis re melius persensa immutatis; pluresque tractatus nunquam antea editos et novas animadversiones magni ponderis adjecit. Romae 1767. Sumptibus Remondinianis. Superiorum permissu ac privilegio. — Tomus primus complectitur paginas LXXVI-276, praeter titulum et epistolam nuncupatoriam; tomus secundus, pag. XVI-276; tomus tertius, pag. 200-XXXV.*

In tomo primo post praefationem texitur Elenchus quaestionum reformatarum, sicut in quarta et quinta editione, cui adduntur aliae viginti tres, sub titulo: *Adduntur aliae recentes retractationes opinionum quae in praecedenti editione recensebantur.*

¹ Lettere di S. Alfoneo. Corrispondenza speciale. Epist. 164.

S. Alphon-
sus systema
sum pan-
latum evol-
vit.

Inscriptio
sextae edi-
tionis.

Septima
editio.

Sextam hanc editionem subsecuta est anno 1772 editio septima, in qua, ad suae doctrinae complementum, S. Alphonsus addidit sub finem dissertationis de usu moderato opinionis probabilis, *Alterum Monitum*, quod eo potissimum collineat, ut, quas Patutius in suo opere *Osservazioni teologiche* objectiones iteraverat, accuratius refelleret. Ac praeter hoc Monitum, aliud adjiciendum curavit in calce operis, nempe in fine tomii tertii, quod inscribitur: *Auctoris Monitum, pertinens ad quaestionem, an usus probabilium opinionum sit velne licitus aliquando*. Quod quanti fecerit S. Doctor, liquet ex ejus ad Remondinum litteris: « Pluris ego hoc folium facio, inquit, quam quodlibet aliud, quod in libro desideraretur; tum quia in illo exarando multum laboris insumpsi, tum quia totum meum in re morali systema complectitur ¹ ». Et in principio ipsius Moniti, S. Doctor haec scribit: « Cum antea sententiam meam de hac re alio modo protulerim, in dissertatione quam posui in tractatu de Conscientia..., operaे pretium duxi hic luculenter sensum exponere, quo ipsam sequor ».

Porro S. Alphonsus in duobus capitibus melius explicat suum systema; et primo quidem, loquendo de opinione minus tuta in concursu probabilioris, hic et deinceps omittit verbum *notabiliter*, et loquitur tantum de *certo* probabiliori. Quamvis enim practice, ut ipse S. Alphonsus advertit in Monito, § *Insuper aliud hic*, et magis diserte in epistolis ad P. Andream Villani ² et P. Petrum Paulum Blasucci ³, vix aut ne vix quidem opinio possit esse certo probabilior, nisi sit simul notabiliter probabilior, ita ut duo illae notiones idem significare videantur: at profecto vox *notabiliter* est verbum incertum, quod ambiguitatem in mente gignere natum est, dum contra vox *certo*, cum non suscipiat majorem vel minorem ambitum, huic vitio viam prorsus intercludit.

Altera vero, eaque praincipia res, quam in hoc Monito S. Alphonsus explicat, est declaratio sensus quo liceat sequi opinionem minus tutam, cum ista aeque probabilis est ac tutior pro lege. Antehac enim S. Doctor absolute pronuntiaverat: « Quod cum opinio minus tuta est aeque vel fere aeque probabilis, potest quis eam licite sequi ». At profecto modus iste loquendi probabilioris ansam facilem praebebat, ut S. Doctorem calumniarentur, eumque probabilismi et laxismi insimularent; rem igitur magis distincte proponit, et ait: « quod si opinio quae stat pro libertate sit aeque probabilis ac altera quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest, eo quod sit probabilis; nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis »; nihilominus, « opinio illa quae stat pro libertate, cum aequali potiatur probabilitate ac opposita quae stat pro lege, grave quidem

¹ Epist. 308, Decembr. 1776. Cfr. etiam epist. 264 et 265, 7 Septembr. et 19 Octobr. 1772.

² Epist. 188, de die 25 Maii 1767.

³ Epist. 217, Novembr. 1768; et epist. 219, de die 8 Aug. 1769.

immittit dubium, an existat lex quae actionem prohibeat. Ideoque eo casu lex redditur incerta; lex autem incerta nequit certam obligationem inducere ». Seu brevius, uti idem S. Doctor ibidem loquitur, § *Posito igitur principio*, « Spectata probabilitate aequali utriusque opinionis, homo dubius maneret neque operari posset; spectata autem vi legis, cum ipsa eo casu non sit sufficienter promulgata, non obligat nec ligat. Et ideo homo, utpote ab hujusmodi lege dubia non ligatus, redditur certus de sua libertate, et sic licite operari potest ». Et addit S. Alphonsus: « Hujus autem conclusionis concinnatio fuit mihi motivum ad praesens Monitum hic apponendum; nam in praefata mea dissertatione, licet eamdem conclusionem tenuerim, tamen per viam longiorem eam probavi; hoc autem Monito, per viam breviorem et planiorem eadem conclusio probata appetat ». Legi potest etiam de hoc argumento epistola S. Doctoris ad P. Petrum Paulum Blasucci, die 5 Augusti 1772 data ⁴.

In ista septima editione aliquot reperiuntur quaestiones subtilius disputatae vel etiam reformatae, quae in nulla alia editione, ne in posterioribus quidem, reperiuntur, ut v. g. quaestio de tyrannicidio, lib. III, n. 381, et aliae quaedam; octava enim editio (si *Systema morale excepferis* in his omnino similis est sextae editioni; quod qua ratione acciderit generatim me latet; sed de hac re iterum redibit sermo infra, ubi de octava editione disseram.

Praeterea ab eadem septima editione expuncta est pars apologetica Prolegomenorum Franc. Antonii Zacharia, et servata est dumtaxat pars historica et didactica.

Titulus septimae editionis iisdem verbis incipit quibus titulus praecedentis, sed sic prosequitur: *Editio septima absolutissima, nunc demum ab ipso auctore novissimis curis recognita, in pluribus reformata, multisque non solum novis animadversionibus, sed etiam integris tractatibus nunquam antea editis locupletata. Bassani 1772* ²; *sed prostant Venetiis apud Remondini. Superiorum permisso ac privilegio*. — Tomi tres in folio, quorum primus continet pag. LXXVI-280, omisso titulo et epistola nuncupatoria; tomus secundus, pag. XVI-276; tomus tertius, pag. 204-XXXVI.

In octava editione, quae prodiit anno 1779, systema morale adeo absolutitur, ut S. Alphonsus jam die 3 Decembris 1779 ad Remondinum scribere non dubitaverit: « Sola haec editio appellanda est opus omnibus numeris absolutum, et adeo expolitum, ut doctorum hujus aetatis suffragiis approbari mereatur ³ ». Systematis autem, quale hic exprimitur, hoc peculiare est, ut

¹ Corrispondenza speciale, epist. 261.

² Apud me extat aliud exemplar ejusdem editionis, quod ascrribitur anno sequenti: « Bassani 1773 ». At profecto, incipiente mense Novembri 1772, opus jam absolutum erat, et perfecta editionis impressio, uti liquet ex epistola S. Alphonsi ad Remondinum, die 17 Novembr. 1772 data. Corresp. speciale, epist. 267.

³ Corrisp. speciale, epist. 318. Cfr. etiam epist. 327, de die 21 Octobris 1779.

Quaedam
habentur in
septima edi-
tione quae
in nulla alia
editione re-
periuntur.

Titulus se-
ptimae edi-
tionis.

Octava
editio: quid
speciale ha-
beat.

Monitum, quod tamquam appendix septimae editioni adjectum fuerat, factum sit pars prior dissertationis, paucis dumtaxat immutatis, quae aut mutanda aut etiam demenda erant, eo nempe fine, ut in antiquam dissertationem, quae ut altera pars dissertationis retenta est, aptius quadrarent.

Praeterea ex eadem editione prorsus expunctus est tractatus de conscientia Hermanni Busembaum, sicut pariter dempta est dissertatione prolegomena Franc. Antonii Zacharia de casuisticae theologiae originibus, locis, etc. Hanc utique dissertationem prius maxime probatam habuerat S. Alphonsus, dum scilicet sistema morale nondum perfecisset; atvero in hac ultima editione, completo jam systemate et in lucem prolato, prorsus inutilis facta erat illa dissertatione¹; nihilque deinceps profuisset, nisi ad provocandum iram et calumnias probabilioristarum.

Recentiori elenco quaestionum reformatarum additae sunt tres novae quaestiones; Elenchus autem ponitur in fine tomii tertii post indicem alphabeticum rerum et verborum.

Res dubiae in illa editione. Omnia hucusque dicta prona sunt et dilucida; sed remanet aliud notandum, quod me adeo latet, ut arcano detegendo omnino sim impar. Ut jam superius innui, erant in septima editione quaestiones quaedam fusiori calamis expositae, aliae etiam reformatae, quae prorsus desunt in octava hac editione, vel exponuntur eodem omnino sensu ac verbis, quibus expositae fuerant in sexta. Hujusmodi retractationes vel omissions num ipsi S. Doctori tribuendae sunt? De responso valde anceps haereo; scio equidem S. Alphonsum magnificuisse octavam editionem, uti supra ex ejus litteris notavi; sed laus haec ad solum morale systema, non vero ad peculiares quaestiones referenda videtur; nec verisimile est S. Doctorem regressum fecisse, lectore haud monito, aut retractasse sententias quas nuper, re diligentius perpensa, in septima editione probaverat. Res eo magis tenebris obtegitur, quod folia complura e sexta aut septima editione deprompta, octavae fuerunt inserta nec iterum typis mandata; quod sane compertum habemus ex mendis typographicis. Nequit igitur una eademque norma de singulis hujusmodi casibus teneri; sed ubi quaestio eodem quidem sensu in utroque loco, sed meliori forma in septima editione disputata fuerit, textum septimae sufficiendum esse duxi textui octavae aut nonae editionis; ubi vero sententia ipsa differet, quid amplectendum sit, in subjectis notis quantum per vires licuerit, indicabo.

Titulus octavae editionis. Titulus huic editioni praefixus, est: *Theologia moralis Illustrissimi ac Reverendissimi D. Alphonsi de Ligorio, olim episcopi S. Agathae Gothorum et Rectoris majoris Congregationis SS. Redemptoris, adjuncta in calce perutili Instructione ad praxim confessariorum, una cum Illustrissimi ac Reverendissimi Joannis Dominici Mansi, Archiepiscopi Lucensis, Epitome doctrinae moralis*

¹ Corresp. speciale, epist. 308, mense Decembri 1776.

et canonicae ex operibus Benedicti XIV, nunc primum ab eodem auctore plurimis additamentis illustrata et pluribus in locis correcta. — Editio octava absolutissima, in qua, praeter ea omnia quae in caeteris addita fuere, nunc primum auctor ipse plura reformavit, aliquibus sententiis clarius explicatis, aliis de novo additis, aliis re melius perpensa immutatis, et novas animadversiones magni ponderis adjecit. Bassani 1779. Sed prostant Venetiis apud Remondini. Superiorum permisso ac privilegio. Constat tribus tomis in folio, quorum primus complectitur pag. XLVIII-276; secundus vero, pag. XVI-276; tertius denique, pag. 204-XXXVI.

Nona editio. Nona editio, quae vivo Alphonso ultima prodiit, omnino similis est octavae eumdemque titulum praefert, nisi quod ubi de opere Dominici Mansi agitur, expuncta sunt, uti par erat, verba: *nunc primum ab eodem auctore plurimis additamentis illustrata et pluribus in locis correcta*. Editio ista prodiit Bassani anno 1785, et constat tribus tomis in 4°, quorum primus complectitur paginas LXXVI-518; secundus autem, XXVIII-512; tertius denique, XVI-428.

Elenchus quaestionum reformatarum hic ponitur in fine tomii tertii, ante Praxim confessarii.

His de singulis editionibus praelibatis, quaerendum nobis est, quemnam finem S. Alphonsus sibi proposuerit in conscribendo tantisque curis perpoliendo hoc de Theologia morali opere. Num sibi gloriam forte quaerebat; num vanam clari nominis aut eruditio famam aucupabatur? Minime gentium. Amor Christi, animarum zelus, recta suorum alumnorum institutio, haec sunt quae virum Dei ad laborem impulerunt; praeter ea vero, prorsus nihil. « Pluribus abhinc annis (ita B. Doctor in praefatione primae editionis) excogitavi, tyronibus nostrae minima Congregationis SS. Salvatoris, librum quo brevius et ordinatius in scientia theologiae moralis tam difficulti et animarum saluti necessaria suffcienter instituerentur ». Pariter in dedicatione secundae editionis, Benedictum XIV alloquens, ait: « Cum... fuisse Dei beneficio vocatus ad missionum ministerium pro adjuvandis populis per rura dispersis, iisque potissimum qui spiritualibus magis destituuntur auxiliis, visa mihi ad hoc fuit necessaria scientia plus quam mediocris rerum moralium, quae tum ad instruendas tum ad regendas animas esset accommodata. Qua de re tam pro mea, quam pro juvenum nostrae sodalitatis intelligentia, opportunum duxi opiniores probabiores utilioresque ad animarum salutem seligere... Operae pretium me facturum credidi, si librum ederem...; atque... multa in eo ad praxim pertinentia, quae sacrarum missionum exercitio didiceram fratribus meis committerem »². Denique in sua ad sodales epistola Nuceriae Paganorum, die 8 Augusti 1754 data, de Theologia morali loquens,

Finis sibi a S. Doctore propositus.

² Cfr. etiam eiusdem secundae editionis praefationem.

ait: « Hanc ego operam, fratres, non pro aliis suscepi neque ut laudes mihi compararem. Ea libenter abstinuisse, si nullus inde fructus percipiendus fuisset, nisi aliquantulum fumidae laudis. Novit enim Deus quantum in eo labore taedii et defatigationis sim expertus. Librum scripsi omnino pro vobis, fratres, ut solida incederetis doctrina nisi, vel ut considerate saltem ageretis ».

De modo autem quo sanctus Alphonsus auctores allegavit, plura scitu necessaria nec lectori inutilia veniunt notanda. Ut omnes probe norunt, S. Doctor in sua Theologia morali permultos auctores citavit, quorum numerus octingentos superat, allegationumque summa septuaginta millibus major est. Ne tamen credat lector, immensam hanc bibliothecam Alphonso praesto fuisse, singulasve allegationes potuisse eum propriis inspicere oculis.

Quosdam ille tantum e praecipuis auctoribus penes se habuit; ceteros vero in aliorum fide citavit. Ad priorum genus pertinent, quos S. Doctor in praefatione primae editionis recenset, dicens: « Alia explicanda, alia addenda censui ex diversis probatorum doctorum auctoritatibus, nimurum S. Thomae, Lessii, Sanchez, Castropalai, Lugo, Laymann, Bonacina, Viva, Croix, Roncaglia et aliorum, praesertim Salmanticis, qui communis aestimatione moralem hanc scientiam diffuse et egregie pertractant, quosque ipse inter ceteros frequentius familiares habui; ita ut fere omnia, quae iidem tot libris latiore calamo in examen revocant, breviter concinnata hic invenias, et praecipue quae ad proxim faciunt ». Quibus sane addendi sunt etiam Diana, Elbel, Escobar, Holzmann, Navarrus, Sporer, Suarez, Sotus, Thomas Tamburinius, Petrus Collet (Continuator Tournely), Concina, aliique sat multi, quorum nomina hic referre abs re videtur.

Hi omnes a reliquis facile dignoscuntur, ex eo quod eorum allegationes semper aut plerumque saltem additam habent loci indicationem; dum contra ceterorum, quos vel p[re]a manibus non habebat S. Alphonsus, vel quorum allegationem in se non suscipiebat, nomen tantummodo refertur, nullo indicato loco. Ita exempli causa, S. Doctor, *lib. I*, n. 98, quaerit: « Quid in dubio an legislator sit superior legitimus? » — Negant [obligare], inquit, Vasquez, Salas, Diana et Araujo, APUD Salmanticenses, cap. 2, n. 118 ». Ubi vides solum locum Salmanticis indicari, ceterorum vero minime; hos ergo non inspexit neque allegationem in se suscepit, sed eam Salmanticisibus reliquit. Pariter, de *Privil.*, n. 9, S. Alphonsus ait Mendicantes communicare in privilegiis ceterarum religionum, vel Congregationum, vel Collegiorum monasticorum et non monasticorum, et citat « Salmant., tr. 18, cap. 1, n. 90, CUM Rodriguez, Pellizzario, Tamburino ». Hic S. Doctor solos Salmanticenses inspexit, eorumque auctoritati et fidei ceteros reliquit. Sexcenta hujusmodi exempla apud S. Alphonsum reperies.

Deinde, licet S. Alphonsus in suis ad Remondinium litteris, die 30 Iulii 1772 datis, scripserit se magnam partem, sin minus totum opus Theo-

Allegatio-
num nume-
rus.

Quosdam
auctores
praesto ha-
buit S. Do-
ctor.

Quomodo
isti a reli-
quias dignos-
cantur.

S. Alphon-
sus ama-
nuenses ad-
hibuit.

logiae moralis propria manu exarasse, certe tamen amanuenses quandoque adhibuit, uti constat ex secundae editionis exemplari, quod a Pio IX s. m. donatum, religiosissime apud nos Romae asservatur. In hoc autem exemplari, recudenda tertiae editioni destinato, breviores quidem additiones, sive notantur in ipsis libri margine, sive in minutis chartae laciniis, fere omnes ab ipso S. Doctoro sunt conscriptae, dum longiores plerumque manum produnt alienam.

Porro in utraque scribendi ratione, mutuando scilicet ab aliis auctores quos ipse non inspexisset, et amanuenses adhibendo, magnum errandi periculum imminebat; et hinc sane errores sat frequentes in Alphonsi Theologiam moralem irrepserunt; quos tamen lector ne tam multos esse credit, quam referuntur a quibusdam recentioribus. Primo enim multae in ipso textu Hermanni Busembaum reperiuntur fallaces allegationes. Praeterea citationes non paucae, quae recte a S. Alphonso scriptae fuerant, et recte prioribus editionibus insertae, deinde in subsequentibus ex mero typographi mendo falsae evaserunt; de quo non est mirandum: priores enim editiones, ipsum auctoris manuscriptum referentes, Neapoli prodierunt; sequentes vero, a tertia scilicet editione, non jam Neapoli, sed Venetiis, urbe valde dissita, idque ex codicibus impressis, recusae sunt. Ita, exempli causa, *lib. III*, n. 631, qu. 1, pro sententia quae docet homicidam teneri ad lucrum cessans juxta tempus quo occisus verisimiliter victurus erat, in tertia et sequentibus editionibus allegatur « Sanchez cum... Palao »; at revera Sanchez, *Consil. mor.*, *lib. I*, cap. 4, *lib. 2*, n. 10, allegat Palacios Rubeos; et S. Alphonsus in secunda editione recte scripserat *Palac.*; id est Joannem Lupum de Palaciis Rubeis, qui profecto in *Repet. Rubric. de Donationibus*, § 25, n. 5, dictam sententiam tenet. — Item, *lib. VI*, n. 332, tertia editio scribit: « Advertit Bonc., cap. 8, qu. 3 », capellanum nullo die a celebratione vacare posse, si in fundatione expresse cautum fuerit, ut Missa quotidie per illum vel per alium celebretur. Verum cum nullius auctoris nomen ita incipiat: *Bonc.*, ideo in quarta editione correctum sic repetitur: « Bonc., cap. 8, qu. 3 », scilicet Bonacina; at certe infelix prorsus emendatio; nam vel ipse modus indicandi locum repugnat Bonacinae, qui tractatus suos non per capita et quaestiones, sed per disputationes, quaestiones et puncta dividit. Secunda autem editio scriptum habebat: « Ronc., cap. 8, qu. 3 », scilicet Roncaglia, et quidem recte; nam *tr. 18, qu. 2, cap. 8, qu. 3*, disertis verbis expositam sententiam tenet. — Sic etiam, *lib. VI*, n. 98, ad opinionem quae requirit contritionem sive dilectionem Dei super omnia, ut martyrium remittat culpam et poenam, S. Alphonsus in nona editione citat « Con., Sayr. etc., apud Croix », quae significant Coninck et Sayrum; in sexta vero editione, septima et octava: « Con., Say. etc. »; in quinta: « Con., Lay. etc. »; sed in quarta et prioribus « Con., Laym. etc. », scilicet Melchior Cano et Laymann, qui revera concordant et citantur a Croix, *lib. 6, part. 1*, n. 238, a quo S. Alphonsus allegationem mutuatus est.

Hinc er-
ores in al-
legationi-
bus.

Erro-
res Her-
manni Bu-
sembaum.

Menda
typographi-
ca.

Undenam
promanent
errores.

Quodsi ad fallaces allegationes proprie dictas descendamus, imprimis notandum est, plerasque non ab ipso S. Alphonso admissas esse, sed ab auctoribus a quibus illas desumpsit S. Doctor; hujus asserti exempla huc adducere inutile existimo; ea enim reperiet lector in notis criticis textui subjectis. Sed quandoque, licet primus auctor recte citaverit, modus tamen quem adhibuit, fuit S. Alphonso errandi occasio; quod accidit cum multa quaesita simul et eodem paragrapho disputantur, et auctores deinde indiscriminatim allegantur et acervatim, quod saepe ac potissimum apud Salmantenses occurrit. Quae quidem scribendi ratio, etsi errorem in se non contineat, aliis tamen causam errandi facilem praebet, cum nempe aliquis unam tantum alteramve asserti partem disputandam assumit, ceteras vero praetermittit; auctores autem refert qui, non in assumptam, sed plane in omissam partem quadrent. Unum dumtaxat exemplum hujusmodi hic afferam: igitur S. Alphonsus, *lib. VII, n. 371*, sententiam exponit quae ait, mandantem vel consulentem homicidium, irregularem censeri in dubio, an consilium vel mandatum fuerit causa efficax homicidii; quam sententiam tribuit: « *Salmant., tr. 10, cap. 7, n. 45*, cum Coninck, Sayro, Avila et Cornejo ». At loco citato, Salmantenses praeter hunc casum, de alio etiam disputant, de casu nempe quo quis aliquem percutserit, hic vero paulo post sit mortuus, ubi percussor dubitet an ex sua percussione an alia de causa occubuerit; deinde auctores allegant indiscriminatim; ex allegatis autem, Coninck, *disp. 18, dub. 2, n. 23* (al. *n. 22*), ultimum quidem casum habet, de quo S. Alphonsus non loquitur, sed silentio plane praetermittit priorem casum, de quo solo disputat S. Doctor.

Est et alia excusatio eaque magni momenti. Citationes enim non paucae quae prorsus falsae sunt, nedum S. Alphonsi auctoritatem labefactent, eam contra commendant. Idque contingit cum S. Doctor auctorem adducit uti faventem opinioni sibi non probatae, cum tamen revera auctor ille eamdem sententiam quam S. Alphonsus tuetur; sic v. g. *de Carit., n. 47*, refertur Palaus, quasi dicat probabiliter non esse mortale, si quis mutuum sine ratione petat ab usurario parato, quam quidem sententiam S. Alphonsus impugnat; et pariter Palaus, nedum eam probabilem existimet, eam diserte reprobavit, *tr. 6, disp. 6, punct. 10, n. 5*, scribens: « *Verum hoc intelligendum est [scilicet mutuum licite peti posse ab usurario parato], si causa rationabilis adsit petendi; nam si aequa bene et facile ab alio... mutuum accipere poteras, non video quomodo te a mortali peccato excusem...* ».

Quae hucusque notata sunt valent profecto de erroribus proprie dictis; sed multae sunt allegationes quae, sin minus verbis cum S. Alphonso concordant, aptissime tamen adhibentur ad confirmandam doctrinam ab eo expositam. Quod tribus praecipue modis accidere potest; primo quidem modo, cum auctor de re simili disputat, sic v. g. *lib. III, n. 296*, S. Alphonsus excusat ob timorem gravis incommodi famulos, qui ad opera servilia diebus

festis ab heris coguntur, et citat Elbel, *in 3 Praec., n. 377*, ubi tamen Elbel non de operibus servilibus, sed de re simili, nempe de Sacro, cui interesse nequeant servi propter ministerium ipsis ab heris impositum. Vel, *ibid., n. 325*, S. Alphonsus cum Gobat et Sanchez ab audiendo Sacro excusat eum qui aegra valetudine laborans, timeret exeundo notabile gravamen capititis, virium lassitudinem, etc. At Sanchez, *Consil., lib. 7, cap. 2, dub. 45*, de casu simil tantum, scilicet de Officii divini recitatione disputat, ejusque opinionem de ea re Gobat transtulit ad argumentum de audiendo Sacro.

Alio modo idem accidit, cum S. Doctor, ad confirmandam aliquam opinionem seu propositionem, auctores affert, qui non propositionem ipsam, sed rationem dumtaxat propugnant, in qua fundatur propositio. Exemplum hujus sit, quod S. Alphonsus, *lib. IV, n. 95*, scribit, nempe: Digniori praeferre minus dignum in electionibus ad beneficia, veniale dumtaxat esse, si excessus dignitatis sit modicus, quamvis elector juramentum praestiterit digniores eligendi. Pro qua sententia, ex Salmant., *tr. 28, n. 326*, allegat Sotum, de *Justitia et Jure, lib. 8, qu. 1, art. 7, dub. 1*; Palaum, *tr. 14, disp. 1, punct. 6, n. 8*. At revera Sotus et Palaus, locis citatis, fundamentum dumtaxat opinionis relatae probant, nempe juramentum promissorum rei levis non injicere vinculum lethalis reatus.

Est tertius denique modus, cum res quae magis explicita et expressa exponitur apud S. Alphonsum, implicite tantum et universaliter, veluti species in genere, apud auctores allegatos reperitur; uti v. c. citato *lib. IV, n. 93*, S. Alphonsus dicit gravem adesse obligationem digniores eligendi ad beneficia etiam simplicia, et ex Salmantibus, *tr. 28, n. 314*, citat S. Antoninum, *part. 2, tit. 1, cap. 20, § 1*; Cajetanum, *in 2^{am} 2^{ae}, qu. 63, art. 2, v. Nota 4*, et *qu. 185, art. 3*. Sed S. Antoninus et Cajetanus generaliter loquuntur, et sine ulla distinctione aut restrictione, de obligatione eligendi digniores ad beneficia. Cum ergo nullam exceptionem apponant, et sub notione beneficii generaliter accepti comprehendantur tum beneficium curatum tum beneficium simplex, merito intelligendi sunt de utroque, et ita recte citantur pro electione ad beneficia simplicia.

Aliud quoque notandum est, quod saepe saepius apud Busembaum, et quandoque etiam apud S. Alphonsum accidit, cum scilicet multa sibi similia compendiose tractata, simul et in eodem paragrapho congesta reperiuntur, deinde vero auctores acervatim allegantur, quorum alii aliam asserti partem tenent, ita ut assertum simul sumptum omnibus quidem auctoribus sit tribuendum, licet non singulis totum. Exemplum hujus habetur apud S. Alphonsum, *lib. VI, n. 565, dub. 1, in fine*, ubi S. Doctor, loquens de praelatis qui confessarium sibi eligere possunt, scribit: « *Nomine praelatorum exemptorum veniunt referendarii, auditores Rotae, protonotarii apostolici et alii praelati curiae Romanae, necnon praelati regulares et Abbates, et alii supe-*

Aut ra-
tionem pro-
positionis
probat.

Aut dis-
putat de re
magis gene-
rali.

Aut as-
sertum par-
timpertinet
ad unum
partim ad
alterum.

Errores
qui com-
mandant
auctori-
tatem S. Al-
phonssi.

Aliquando
allegatus
auctor de re
simili dis-
putat.

riores locales immediati. Ita Suarez, *disp. 27, sect. 2, ex n. 8*; Lugo, *disp. 19, n. 4*; Diana, *part. 3, tr. 2, de dub. Regul.*; et Renzi, *tom. I, pag. 537, qu. 10*. Atvero si singulos auctores inspicias, apud Suarez, *loc. cit., n. 8*, recensentur in curia Romana tantum « auditor camerae et alii » qui sunt praefati; inter regulares vero, *n. 9*, citatos habes provinciales et « aliquos superiores immediatos, ut Abbates et similes ». Lugo autem *loc. cit.*, loquitur de solis religionum praefatis, praesertim, ut ait, generalibus, provincialibus, superioribus localibus. Diana, *loc. cit., resol. I*, loquitur de generalibus, aliisque religionum praefatis, qui gaudent facultate confessarium eligendi. Renzi denique *loc. cit.*, scilicet in 2 *Praec. Eccl., cap. 4, qu. 10*, omnes recenset quos refert S. Alphonsus, praeterquam quod, pro regularibus, nominat solum praefatos inferiores episcopis. Et ita sane ex omnibus auctoribus simul sumptis colligitur assertum S. Alphonsi, licet totum apud singulos non habeatur.

Quodsi vero apud S. Alphonsum errores in allegandis auctoribus non desint, idem vitium apud ceteros, ne exceptis quidem insignioribus theologis, reperire est.

Ceteri auctores etiam errant.

Et ita cardinalis Joannes de Lugo, theologiae facile princeps, teste S. Alfonso, in multis tamen locis errat; v. g. *de Poen.*, *disp. 16, n. 165*, Azorium recenset inter auctores, qui negant explicandam esse in confessione qualitatem contumeliae, sed plane fallax est allegatio. Azor enim *part. 3, lib. 13, cap. 5, dub. 1*, de quaesito illo scribit: « Sotus... ait aliquando esse necessarium vel ob magnitudinem ejus quod acerbe dicitur..., v. g. si quis compellet alium praedonem vel haereticum vel proditorem..., quia licet contumeliae specie non differant, est tamen opinio Soti et multorum aliorum valde probabilis, circumstantias peccatorum malitiam graviter augentes intra eamdem speciem esse in confessione exprimendas ». Quin etiam, *part. 1, lib. 4, cap. 4, qu. 5*, disertis verbis scribit: « Si Titius contumeliose Cajum compellet haereticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliae committit, specie distincta ».

Idem cardinalis de Lugo, *de Euch.*, *disp. 22, n. 3*, exponens sententiam, quae negat esse mortale, etiamsi omittatur evangelium in audienda Missa, dummodo audiatur reliquum totum, cum ultimo evangelio inclusive, ait: « Quod probabile putant cum Navarro, Suarez, Nugnus, Azor, Rodriguez, Graffius, quos refert et sequitur Bonacina, *disp. 4, de Miss. sacrific.*, *qu. ult., punct. II, n. 17* ». Verum hoc uno loco in multis errat Lugo; et primo quidem Navarrus a Bonacina non citatur pro exposita opinione, sed solum pro illa, quae docet praecesto satisfacere eum qui, cum praetermisit initium Missae usque ad evangelium, partem omissam per se ipsum legit, vel ab alio attente audit. Praeterea, de quaesito nostro tractat Navarrus in *Man.*, *cap. 21, n. 2*, et contra Lugonis effatum, scribit: « Apparet talis [nempe pars notabilis] ea quae protenditur ab introitu ad epistolam vel graduale inclusive ». — Quod spectat ad Azorium, ipse pariter contrarium tenet, *part. I, lib. 7, cap. 3*,

Errores auctores etiam de Lugo.

Errores cardinalis de Lugo.

qu. 2, dicens: « Eum qui totum Missae principium una cum epistola et evangelio praetermisit, partem notabilem dimisisse, non autem si ab initio evangelii usque ad finem Missae audierit, etiamsi reliquum omiserit, hoc est principium Missae et epistolam ». — Rodriguez denique male etiam citatur; nam in *Sum., part. I, cap. 123, n. 1*: « Satisfacitque huic praecepto, inquit, audiens Missam ab evangelio; audire vero eam dicto evangelio, non est res secura; sic enim tenet S. Antoninus, et videtur consentire Sotus: quod debet teneri ».

Sed nunc ad Thomam Sanchez, virum ceteroquin diligentissimum et accuratissimum, accedimus; nec tamen magis ab errore immunem illum reperiemus. Quaedam exempla afferre mihi liceat. Igitur Sanchez, *de Matr.*, *lib. 5, disp. 5, n. 12 et 13*, exponit et probat opinionem, quae asserit valida esse sponsalia inter cognatos inita sub conditione: si Papa dispensaverit; et allegat Ludovicum Lopez, *Instruct. 2, de Matr.*, *cap. 42*. Sed longe a vero aberrat Sanchez; nam Lopez, *loc. cit.*, v. *Ad 2 argum.*, diserte tenet contrarium, dicens: « Quia sponsaliorum illegitima materia sunt cognati, ideo ante dispensationem in ratione sponsaliorum obligare se non possunt, etiam si talia sponsalia inita fuerint sub ea conditione: si Papa dispensaverit ».

Idem Sanchez, *de Matr.*, *lib. 2, disp. 40, n. 17*, adducit Cordubam, tamquam dicentem vel significantem episcopum non posse generaliter delegare ad absolvendum a casibus papalibus, sibi per cap. *Liceat concessis*. Corduba autem, *Sum., qu. 8*, non de omnibus ejusmodi casibus haec habet, sed de sola absolutione ab haeresi.

Praeterea, *de Matr.*, *lib. 9, disp. 7, n. 1*, Sanchez citat Martinum de Ledesma pro opinione, quae dicit conjugem, etsi voto impeditum, posse se offerre ad copulam quater in mense, quando alter interpretative petit. At Ledesma loco citato a Sanchez, scilicet *2^a 4^{ta}, qu. 66, art. 1, dub. 2*, ne verbum quidem habet de voto, et solum excusat quandoque a mortali eum qui negat debitum: « ut si vir solet accedere ad mulierem quater in mense, et accessit jam quater in aliquo mense, et vult quinto accedere, si uxor nolle reddere quinto debitum, non videtur in hoc facere magnam injuriam viro, et licet male faciat negans viro debitum ».

Aliud denique exemplum ex Sanchez sit, quod de *Matr.*, *lib. 9, disp. 5, n. 6*, citat Surdum pro opinione, quae negat virum teneri ad alendam uxorem, dote non soluta, quamvis uxor sit in viri obsequio et ipsi famulatum praestet. At Surdus, *de Alim.*, *tit. 7, qu. 17, n. 37 et 38* (cit. a Sanchez), refert aliorum dumtaxat opinionem; sed *n. 41*, ubi sententiam suam declarat, omnino contradicit: « Concludo, inquit, quod si maritus praestitit uxori alimenta, quamvis illa dotem non solverit, et tunc non repetit; si vero vult repellere et non praestare, et potest; aut vult retinere in servitio, sed non alere, ET NON POTEST... Infertur ex hac conclusione quod maritus, cui dos promissa non

Errores
Thomae Sanchez.

solvitur, non potest negare uxori alimenta, nisi eam expellat, vel si vult retinere in domo, non recipiat ab ea aliqua servitia vel obsequia ».

Erros
Lessii. Ad Lessium accedo, qui, *de Just. et Jure*, lib. 2, cap. 34, dub. 14, n. 66, negat esse mortale postponere dignorem, non passim, sed semel vel bis tantum in electione ad beneficia mere simplicia, et citat inter hujus opinonis fautores, Alensem¹, *Sum.*, part. 2, qu. 136, § 2; Sotum, *de Just. et Jure*, lib. 3, qu. 6, art. 2; Sà, v. *Beneficium*; Gabrielem, in 4, dist. 15, qu. 7, art. 3, dub. 1; Angelum, v. *Electio*, n. 21; Petrum Navarra, *de Rest.*, lib. 2, cap. 2, n. 148; Aragon, in 2^{am} 2^{ae}, qu. 63, art. 2. At revera auctores laudati negant absolute mortale esse postponere dignorem in electione ad beneficia simplicia; nec dictum coarctant, ut vult Lessius, ad unam alteramve vicem.

Idem Lessius, lib. 2, cap. 42, n. 49, Cajetanum allegat, tamquam hic in 2^{am} 2^{ae}, qu. 98, art. 4, asserat justam esse quandoque causam, ratione officii petere juramentum ab eo, quem scis esse pejeraturum. Sed loco citato, Cajetanus argumentum istud silentio plane praetermittit.

Erros
Tamburi-
ni. Ex Thoma Tamburinio, unum dumtaxat, sed singulare exemplum referam. Tamburinius igitur, (edit. Veneta, 1726) *Method. exped. Confess.*, lib. 2, cap. 7, n. 24, ubi tractat de eo qui puellam positive sollicitat, cum qua deinde peccat, scribit: « Aliqui sentiunt debere te esse sollicitum explicare te fuisse primum ad allicendum: Sic Jo. Sanchez, in *Select.*, disp. 1, n. 24, in fine; de Lugo, *de Poenit.*, disp. 16, sect. 4, n. 142, ex sententia Vasquez. Sed est contra Th. Sanchez, in *Decal.*, lib. 1, cap. 6, num. 14, et contra Bonac. ».

Atvero quot sunt Tamburinii allegationes (excepta Bonacinae allegatione), tot sunt errores; nam auctores allegati pro sententia affirmante, disertis verbis tenent negantem. Et primo quidem Lugo, *loc. cit.*, ita scribit: « De circumstantia autem sollicitantis feminam ad fornicationem, an sit explicanda; an vero sufficiat fateri fornicationem, placet quod cum aliis docet Vasquez, in *praesenti*, NON esse explicandam illam circumstantiam ». — Porro Vasquez, in 3 P., qu. 91, art. 1, dub. 4, n. 3: « Cum aliquis peccat cum muliere et ipsam invitat ad malum, esse idem numero peccatum, NEC exprimendam esse circumstantiam illam ». — Joannes Sanchez, pariter, *loc. cit.*: « Recte loquitur Sanchez [scil. Thom. Sanchez, cuius Joannes sententiam refert] ..., dicens crimen scandali esse feminam inducere, opus tamen NON esse illud in confessione explicare ».

Ex auctoribus vero, quos Tamburinius citat pro negativa, Sanchez, *loc. cit.*, eam ex parte dumtaxat tuetur, et distinguit, inquiens: « At fateor in confessione non opus esse hanc circumstantiam declarare inductionis feminae paratae... Tandem, quando mulier non est parata, tenetur vir inductionem fateri ». Tandem, quando mulier non est parata, tenetur vir inductionem fateri ».

¹ In mea editione Veneta anni 1575. Alexander Alensis, *loc. cit.*, loquitur de quaestione longe diversa, scilicet de Superbia. Sed non magis concordat qu. 119, membr. 2, art. 3, ubi disputat de personarum acceptione.

Bellarminus, *de Conciliorum... auctoritate*, lib. 2, cap. 14, citat D. Antoninum pro sententia, quae negat Papam posse se subjicere sententiae concilii, si de sententia proprie coactiva sermo sit. At S. Antoninus, *Sum.*, part. 2, tit. 3, cap. 11, § 10, minime hoc dicit; sed postquam asseruit Papam esse supra concilium, addit ex Glossa tres exceptiones, quarum una est: « Cum submittit ipse sua sponte se judicio Ecclesiae, concilii vel alterius ». Et negat dumtaxat ullum ex his casibus de facto valere in causa Eugenii IV, qui « nec se submisit concilii judicio ». Neque in suo Chronico, part. 3, tit. 22, cap. 10, § 4, (quod etiam a Bellarmino citatur), S. Antoninus negat Papam posse se subjicere judicio Ecclesiae.

Bellarminus pariter, *de Ordine*, cap. 9, post princ., § Altera sententia, adducit Petrum de Soto, *lect. 5 de Ord.*, § Circa ista igitur, et Martinum de Ledesma, dicentes materiam essentialem diaconatus esse traditionem libri et impositionem manuum. Sed, quidquid dicat Bellarminus, Petrus de Soto, *loc. cit.*, idipsum negat, dicens: « Videtur sacramentum Ordinis maxime perfici in impositione manus: in illis videlicet tribus ordinibus superioribus... Et quamquam semper aliquid forte praeterea fiebat, tamen in antiquorum lectione, nec de traditione calicis, etc. in sacerdotio, nec libri in diaconio hucusque vidi mentionem fieri. Quare magis videtur perfici sacramentum in illa impositione manus in superioribus tribus ordinibus. Sed utcumque sit, melius est hoc sub dubio relinquere ». — Martinus de Ledesma contra, in 2^a 4^{ae}, qu. 36, art. 5, assignat tamquam diaconatus materiam, solam libri traditionem, de impositione autem manuum haec scribit: « Et si dicas quod illa impositione manuum [ab Apostolis adhibita] erat materia, non tamen erat de necessitate sacramenti... Sed etsi hoc forsitan posset defendi, quousque Ecclesia determinaret quid in hoc tamquam de fide tenendum esset, nihilominus tenendum pro certo est cum communis sententia fidelium, nempe: ad quemlibet gradum ordinis requiri materiam tamquam de essentia hujus sacramenti ».

Nunc vero ad Ordinis Minorum doctores gradum facimus, et habemus inter ceteros Elbel, qui, *de Matr.*, n. 474, adducit Scotum tamquam affirmantem posse absolvere a censuris et poenis generaliter a jure latis, nec specialiter reservatis, eos qui gaudent jurisdictione episcopali vel quasi episcopali; idque constare ex cap. *Nuper*. At Scotus, in 4, dist. 25, qu. 1, n. 12, § Qualiter relaxatur, diserte contradicit, et negat eam opinionem colligi posse ex cap. *Nuper*; haec sunt verba Scotti: « Qualiter relaxatur...? Si... est a jure [excommunicatio], per absolutionem ejus qui jus condidit; nec hoc solum, ut dicunt multi, sed per absolutionem cujuscumque sacerdotis, quando legislator non reservavit sibi istam absolutionem, et probant per cap. Extra, *de sent. excom.* *Nuper*. Sed illa probatio parum cogit, quia non sequitur: Ille non reservat, ergo concessit, loquendo de forma consequentiae, etiam secundum jura; quia posse absolvere cadit sub illa regula: *Quod non est concessum, videtur esse* ».

prohibitum, quia non competit alicui absolvere a sententia commissa a superiori, nisi sit sibi concessum ».

Elbel similiter, *de Poenit.*, n. 54, citat Henno pro opinione, quae excusat a mortali eum, qui differt contritionem usque ad confessionem annuam, seu excusat eum, qui satisfacit confessioni annuae. At contra, Henno prorsus reprobat hanc opinionem, scribens, *de Poenit.*, disp. 4, qu. 5, concl. 3: « Non videtur excusandus a peccato gravi, qui contritionem seu poenitentiam differret ultra quatuor aut quinque menses a commisso peccato ». Et in *resp. ad obj. 1.*, negat peccantem non teneri ad contritionem saepius quam ad confessionem.

Idem Elbel, *de Voto*, n. 286, allegat Filliuccium, ut qui neget vota conditionalia (non poenalia) esse reservata post impletam conditionem. Errat tamen Elbel; Filliuccius enim, *tr. 26*, n. 271, allegato ab Elbel, loquitur de votis poenalibus dumtaxat; de votis autem pure conditionatis disputat *n. 269*, et contra assertum Elbel, affirmit utraque esse reservata post impletam conditionem.

Erros Sporer. Sporer, *tr. 5*, in *Decal.*, cap. 3, n. 251, pro sententia quae affirmit esse homicidium voluntarium, et non solum casuale, illud quod committitur ex subitanea ira, citat Dianam, part. 10, *tr. 11*, resol. 19, ubi Diana disertis verbis contrarium tuetur, dicens eo casu incurri irregularitatem ex homicidio casuali tantum.

Alibi, nempe *tr. 5*, cap. 1, n. 64, Sporer citat Dianam pro opinione, quae asserit probabiliter posse ultro poni occasionem peccandi alicui, jam ad peccandum parato; Diana vero, part. 3, *tr. 5*, resol. 18, hanc utique opinionem exponit, sed quid de ea sentiat non declarat; et ipse, part. 9, *tr. 3*, resol. 4, negat se admittere opiniones, de quibus nullum judicium profert¹. — Sporer ibidem citat Tamburinium, quasi eamdem opinionem valde probabilem existimet; sed Tamburinius, *Decal.*, lib. 5, cap. 1, § 4, n. 4 et 5, adducit Palaum dicentem eam aliquo modo probabilem videri, se tamen illam doctorum judicio submittere; quibus sic relatis, addit Tamburinius: « Submitto igitur et ego ». Quod profecto minime significat esse valde probabilem, ut vult Sporer.

Nec firmiores sunt doctores ordinis Praedicatorum. — Et primo quidem Silvester Prieras, v. *Clericus IV*, qu. 8, n. 6, citat Innocentium, quasi dicat clericum, si aliqua bona ratione officii acquisierit, puta quia fuit capellanus

¹ Haec sunt verba Diana, *loc. cit.*: « Moneo amicum lectorem, quod ego in meis operibus soleo pro curiosis diversas opiniones adducere; sed non ex hoc sequitur illis omnibus me adhaerere; sed tunc tantum me habeo ut relatorem: qui enim adducit aliqua recitative, illa non approbat....; et ideo quando de facto alicui opinioni ego adhaerere volo, tunc clare explico illam docendo et tenendo, vel saltem tamquam probabilem illam admitto, ut passim ex lectura meorum operum patet. — Advertant igitur lectores, si ego tantum opiniones refero, tunc pro illis me non adducant, sed tantum quando opiniones expressis verbis teneo, vel saltem tamquam probabiles admitto. Unde in meis operibus non admitto aliquorum sententiam asserentium, quod si quis referat doctorum sententias, videtur posteriori loco adductae adhaerere: nam ego referendo sententias, nulli adhaereo, si ut dixi, illam aperte non doceam vel tamquam probabilem admittam ».

alicujus principis, qui ei multa donavit, posse ad libitum de iis bonis disponere. Falsa quidem allegatio; quod enim affirmat Silvester, id ipsum negat Innocentius. Nam in cap. *Quia nos*, 9, *de testam.*, quod sancivit: « De his tamen quae consideratione Ecclesiae percepunt, nullum de jure possunt facere testamentum », Innocentius verba *Consideratione Ecclesiae* sic commentatur: « Idem dicemus, si ratione officii, puta quia fuit capellanus alicujus principis, qui multa ei donavit ».

Concina, *de Horis can.*, cap. II, § 3, n. 31, dicit Garciam contra Bonacinam concedere distributiones beneficiatis, qui a choro absunt studiorum causa, quando fructus beneficii in solis distributionibus consistit. Atvero Bonacina, *de Off. div.*, disp. 2, qu. 5, punct. 3, § 9, n. 2, nedum contrarius sit Garciae, plane consentit iis quae docet, *de Benef.*, part. 3, cap. 2, n. 114, 115 et 353, scilicet illos qui absunt causa studii, distributiones lucrari, tertia parte detracta, quando iis solis constat praebenda.

Erros Concinae. Similiter Concina, *de Baptismo*, cap. II, n. 19, allegat Petrum de Ledesma, ut qui neget esse mortale differre parvuli Baptismum, nisi dilatio excedat decem vel undecim dies; at revera Ledesma, *de Bapt.*, cap. 7, concl. ult., dilationem mortalem fore ait, si usque ad quindecim vel viginti dies protrahatur.

Doctores saeculares iisdem erroribus obnoxii sunt quibus regulares. — Exordiamur a Bonacina, qui, *Tract. var.*, disp. 5, punct. 5, n. 9, adducit Garciam pro opinione quae negat pastores a residentia excusari ad fungendum officio proregis, consiliarii, etc., quamvis id requirat bonum commune, nisi desint alii. Sed, *de Benef.*, part. 3, cap. 2, a n. 389, Garcia absolute et sine ulla limitatione negat excusari a residentia eos, qui in servitio vel officiis regis aut principis intersunt.

Idem Bonacina, *de Bapt.*, qu. 2, punct. 5, n. 11, negat laicum peccare graviter, si baptizet in necessitate coram diacono, pro qua sententia allegat praeter alias, Coninck, qui tamen, qu. 67, dub. 2, n. 19, contradicit, scribens: « Idem dicendum [scil. esse lethale], si diaconus praetermittatur... Quia cum jus expresse velit urgente necessitate huic pree aliis... hoc officium committi..., et cum materia sit gravis, sequitur gravem de hoc esse obligationem ». — Bonacina pro eadem sententia citat etiam Reginaldum; sed auctor iste, lib. 27, n. 44, contrarium aperte insinuat, dicens: « Peccatum vero quod committit... laicus praesente clero, cui nec ex commissione competit baptizare, non videtur plus quam veniale ». Quibus verbis utique significat fore plus quam veniale, seu fore mortale, si fuerit praesens clericus, cui ex commissione (qualis est diaconus) competit baptizare.

Monacelli, *Formular. leg.*, part. 2, tit. 16, n. 12, refert Dianam, tamquam affirmet episcopum posse in sabbatum praecedens transferre vigiliam S. Mattheiae, occurrentem in ultima die bacchanalium. At prorsus falso; nam Diana, part. 10, *tr. 16*, resol. 7, expressis verbis negat episcopum id facere posse.

Ipse Benedictus XIV quandoque fallitur in allegandis auctoribus; duo tantum exempla afferam; quorum primum desumitur ex opere *de Synodo*, lib. 7, cap. 12, n. 4, ubi Benedictus XIV dicit Eucharistiam posse plures in eodem periculo ministrari aegroto non jejuno per modum viatici. Et addit: « Cardinalis de Lugo... male traducit Vasquez, quasi auctorem contrariae sententiae, cum hic de sola loquatur obligatione, ut diximus, et legenti patebit ». Sed quamvis Vasquez, in 3 Part., disp. 214, cap. 2, in fine, uti citat Benedictus XIV, de sola obligatione loquatur; at praeterea, disp. 211, cap. 4, n. 38 et seqq., idem Vasquez diserte negat Eucharistiam posse iterum ministrari non jejuno in eodem periculo: « Existimo igitur, inquit, aegrotum post sumptam Eucharistiam ut viaticum, sive jejunus, sive non jejunus illam sumperit, in eadem aegritudine, non solum non debere, sed etiam non posse non jejunum hoc sacramentum iterum sumere ».

Idem Benedictus XIV, *Notif.* 34, n. 11, pro sententia, quae ait opportunam esse licentiam episcopi, ut Eucharistia possit ministrari in oratoriis privatis, citat Dianam, *Coord.*, tom. 4, tr. 2, resol. 44 et 45. Sed locis citatis, Diana expressis verbis concedit id fieri posse sine licentia episcopi, et *consultit* tantum ne hoc fiat cum ejusdem displicentia — Ibidem etiam Benedictus allegat Quarti, sed infelicius adhuc; nam, part. 3, tit. 10, n. 1, sect. 3, dub. 9, Quarti affirmit sacerdotem saecularem, nisi a parocho expresse prohibetur, posse in oratoriis privatis « Eucharistiam extra Pascha » ministrare; idemque posse regularem, de licentia saltem suorum superiorum, nisi episcopus prohibuerit.

Quodsi tandem ab antiquioribus, qui minus cauti erant in allegandis auctoribus, gradum faciamus ad coetaneos nostros, non exceptis iis qui peculiari studio ac diligentia ad trutinam revocaverunt allegationes, eos non magis immunes ab errore reperiemus. Duos tantum huc adducam: Antonium scilicet Ballerini, ejusque editorem Dominicum Palmieri.

Ballerini ergo, in suo Opere theologicō morali (1889-1893) in Busembaum Medullam¹, cuius proinde textum verbotenus refert, nunquam, aut vix unquam, errores, ceteroquin frequentes, qui ibidem reperiuntur, advertit aut castigavit. Et si quando id fecerit, non semper feliciter. Utī v. g. de 3º Praec., n. 31, Ballerini reprehendit Busembaum, quod allegaverit Escobarum pro sententia quae affirmit esse opus servile praelo imprimere: « Escobar autem, ait Ballerini, allegatio fallax est, qui in *Exam.* 5, cap. 3, tr. 1, nihil de his habet ». At sane inanis prorsus reprehensio; nam Escobar dictam sententiam disertis verbis habet; en ejus verba, in edit. Lugdunensi anni 1644, loc. cit., n. 43: « Num typographi, die festo characteres ordinantes, violent preeceptum? Non violare asserit Laymann. Sane ipsam librorum impressionem

servile opus esse cum eodem doctore affirmo ». Eademque habentur in editione Veneta anni 1660. In alia vero Lugdunensi s. d., loc. cit., n. 18, ita loquitur: « Excusanturne typographi? Characteres ordinantes excusantur, quia opus servile non est; praelo incumbentes, minime, quia opus servile ».

In eodem Opere, *de Poenit.*, n. 629, i. f., Ballerini loquitur de onere iterum confitendi peccata, quae quis confessus est habenti jurisdictionem dubiam, et scribit: « Quod vero addit cum Busembaum S. Alphonsus, non imponendum hoc onus ex Salas, in 1^{am} 2^{ae}, tr. 8, disp. unic., sect. 10, n. 33, non facit ad rem; tum quia Salas loquitur de praecedenti confessione informi (qui non est casus noster), tum quia loquitur de jurisdictione seu potius de dispositione probabili, quod pariter ad rem nostram non facit ». Ita Ballerini, sed temere loquitur. Nam primo, quod ait S. Alphonsum cum Busembaum addere, falsum est; ibi enim nihil aliud habetur quam textus Busembaum, cui S. Doctor ne verbum quidem addidit. Secundo, plane fallitur Ballerini carpendo Busembaum. Salas, tr. 8, disp. unic., sect. 10, n. 33, non est ad rem, inquit. Profecto quidem; sed nec Busenbaum citavit n. 33, et haec tantum habet: « Salas, in 2, tr. 8, d. 1 ». Et revera, dicto tractatu 8, disp. unic., n. 283, diserte scribit Salas de casu nostro: « In necessitate et sub conditione licitum est uti jurisdictione dubia, SINE ONERE confitendi iterum eadem peccata sacerdoti habenti jurisdictionem certam; durum enim et intolerabile esset cogi hominem partim necessitate eligendi confessorem dubium, partim lege Dei seu onere, quod a sacerdote necessario imponendum poenitenti sit, ad confitendum bis eadem peccata; ergo sine tali onere, absolutio est valida ».

Aliud simile. Busenbaum, lib. 6; tr. 4, cap. 3, dub. 2, resolv. 2, adducit Emmanuelem Sà, dicentem v. *Confessio*, n. 3, Ecclesiam non obligare ad confessionem ante pubertatem; quod ceteroquin Busembaum improbabile dicit. Circa quod Ballerini scribit in citato Opere posth., *de Poenit.*, n. 1066: « Quod auctor dicit de Sà, quasi doceat Ecclesiam non obligare ante pubertatem, id in Sà non invenio. Sà non de confessionis obligatione, sed de poenis id dicit, v. *Confessio*, n. 3 ». Sed forte Ballerini oliviscitur aut nescit opus Emmanuelis Sà: *Aphorismi confessariorum*, olim damnatum fuisse et in indicem librorum prohibitorum relatum, donec corrigeretur: exinde tamquam opinionem Emmanuelis Sà proponit quod est mera emendatio Magistri S. Palatii. Genuinus vero textus loquitur non de poenis, ut vult Ballerini, sed de ipsa obligatione, uti asserit Busenbaum. « Etsi quidam putant (ita Sà, edit. genuina, loc. cit.) teneri ad confessionem qui habet usum rationis, scilicet cum pudet malefacti, tamen Ecclesia non videtur obligare ante pubertatem ».

Sed et animadversiones Ballerini in ipsum S. Alphonsum haud raro inanis omnino ac fallaces sunt. Sic, v. g. in Opere Posthumo, *de Poenit.*, n. 664, scribit: « S. Alphonsus, n. 584, tamquam ex sententia Tamburini

¹ Opus posthumum, quod « absolvit et edidit Dominicus Palmieri ».

dicit: Ordinarie tamen loquendo, consultum est ut confessarius a subeundo tali onere [scil. petendi a superiore facultatem absolvendi a reservato, tacita persona] se abstineat. Sed Tamburini nihil tale habet, et solum dicit confessarium ad hoc non obligari. Ita ille, *Method. expedit. confess.*, lib. 3, cap. 3, § 4, n. 17 ». Et Ballerinius exscribit verba Tamburinii, quae habentur utique loc. cit., cap. 9 (non vero cap. 3, uti scribit), deinde subjicit: « Puto autem S. Alphonsum ex mero oculi errore de hoc punto putasse id dictum a Tamburinio, quod Tamburinius de alio onere affirmat *ibid.*, n. 13, scilicet de facienda loco poenitentis correctione fraterna ». Ita Ballerinius; sed pace clarissimi viri, non de sola correctione fraterna, sed etiam et expressis verbis Tamburinius loquitur de casu quem refert S. Alphonsus. Haec sunt ejus verba, cit., cap. 9, § 4, n. 12: « Obligatur v. g. poenitens omnibus expensis, vel primo ad correctionem fraternalm proximi..., vel tertio ad configiendum ad superiorem ob casus reservati absolutionem... Quaeritur ergo an confessarius ejusmodi onera in se suscipere licite possit aut debeat ». Et n. 13, respondet: « Quoad licite, posse, quamvis optimum consilium sit, ut confessarius ab hujusmodi poenitentium oneribus omnino abstineat, tamen concurrentibus tribus, licite potest... ; immo interdum ob caritatem decet ».

Item Ballerinius, Op. posth., *de Matr.*, n. 198: « Subdit S. Alphonsus [n. 850] Bossium affirmare NULLO MODO posse patrem cogere filium ad nuptias, si hic velit meliorem statum eligere, nempe religionis aut coelibatus. Sed non ita intelligendus est Bossius, quasi contradicat doctrinae Sanchez... Et reipsa Bossius, *de Effect. Matr.*, cap. 10, n. 70, tantum dicit peccare parentes, si filios vel filias POST EMISSA VOTA continentiae aut religionis VI VEL DOLO ab eorum impletione retrahant, vel cogant ad matrimonium ». Sit ita sane, opere et loco quae Ballerinius allegat; sed S. Alphonsus allegat cap. 11, n. 70. Et profecto in alio opere ejusdem Bossii, scilicet *de Matrimonii contractu*, dicto cap. 11, n. 70, Bossius ne verbum quidem facit de voto vel dolo, sed scribit: « Si hunc statum [conjugalem] nolunt eligere, sed meliorem, ut coelibatus aut religionis, certum est non posse a parentibus *adhuc paterna increpatione* ad matrimonium cogi; quia contra rationem est, filium qui est sui juris ad eligendum statum, et vult meliorem eligere, cogi *etiam leviter* ad statum minorum ». Quae plane et adamussim concordant cum aserto S. Alphonsi. Et eo minus tolerabilis est Ballerini error, quod S. Alphonsus ibidem iterum citat idem opus et locum Bossii, ubi auctor iste adducit (teste S. Alphonso) Menochium et Salon; sed in opere et loco a Ballerini citatis Bossius neutrum ex his auctoribus nominat.

In eodem Op. posthumo, tr. 9, n. 161, Ballerinius invehitur contra S. Alphonsum, lib. 4, n. 142, dub. 1, quod S. Doctor, quaerens utrum religiosi ejecti per sententiam teneantur ad officium divinum, citat Laymann pro sententia quae dicit negativam esse probabilem ac tutam. « Neque Laymann (ait Bal-

lerinius) sententiam liberantem hos ejectos ab obligatione officii vocat tutam, ut ait S. Alphonsus, sed e contrario dicit idem videri dicendum de ejecto per sententiam, quod de fugitivo dicitur, quem astringi obligatione recitandi officii absolute affirmat ». Ita revera est; sed male facit Ballerinius in his sistendo; nam Laymann, loc. cit., scilicet, lib. 4, tr. 1, cap. 4, n. 2, sic prosequitur: « Licet contrarium senserit Sotus, lib. 10, qu. 1, art. 3; Sanchez, lib. 8, de Matrim., disp. 8, n. 11; Lessius, loc. cit.; quorum sententia in praxi probabilis et TUTA EST, si ejectus in majoribus ordinibus constitutus non sit ».

Idem Ballerinius, Op. posth., *de Peccat.*, n. 141 et seqq., increpat S. Alphonsum (seu potius Salmantenses, a quibus S. Doctor allegationem mutuatus est), quod citavit Dianam, tamquam dicentem mortale peccatum esse viduis et sponsis de futuro, delectationem etiam voluntatis circa copulam conjugalem; et Ballerinius n. 144, scribit: « Allegatur Diana, part. 3, tr. 5, resol. 2, et in edit. coord., tom. 2, tr. 6, resol. 39. At falsitas patet vel ex ipso titulo resolutionis ». Et exscribit quem putat titulum esse Diana; sed plane fallitur; titulus enim est, non Diana, sed ejus coordinatoris, Martini de Alcolea, qui in praefatione operis seu admonitione ad lectorem ait: « Inter titulos hujus mei laboris et authoris [Diana] magna differentia est de titulo ad titulum ». Et revera titulus quem Diana huic resolutioni praefixit, sequens est: « An si vidua vel sponsa de futuro carnaliter delectetur de copula praeterita et futura, peccet mortaliter ». Haec de titulo; sed quod ad ipsam rem pertinet, Ballerinius tribuit Diana opinionem, quae negat viduam peccare mortaliter, si oborta cogitatione copulae carnalis cum marito defuncto eam approbet voluntate, et similiter de sponso circa copulam conjugalem futuram, si eam simplici voluntatis affectione approbet. At, contra Ballerini assertum, Diana opinionem istam non tenet, sed eam tantummodo exponit, et prosequens (quod Ballerinius silentio praetermittit), haec addit: « Sed hanc sententiam in praxi non audet consulere Laymann..., ET EGO SIMILITER... Dicendum est igitur absolute non esse licitam viduis delectationem ortam ex cogitatione copulae habitae tempore matrimonii, neque sponsis de futuro delectari de copula habenda tempore conjugii ».

Allegationes hucusque excusae, depromptae sunt ex opere Ballerini postumo; verum similes errores non desunt in ejus notis ad Gury; satis erit unum huc adducere exemplum. Igitur, *de Virtut.*, n. 236, qu. 3, post notam b, Ballerinius reprehendit S. Alphonsum, quod citaverit cardinalem de Lugo, Tamburinum et Collet pro sententia, quae docet scandalum indirectum duplex esse peccatum, contra caritatem nempe, et contra virtutem ad quam violandam inducit; affert quemdam textum ex Lugo, deinde sic concludit: « Quae cum habeat et fuse explicet et defendat Lugo, non appetet quomodo S. Alphonsus (lib. 2, n. 45) eum alleget pro opposita quam tenet sententia,

sicut etiam Tamburini, qui (*Confess.*, lib. 2, cap. 1, n. 105) idem docet ac Lugo; et insuper Collet, (*Tom. 3, p. 327*) qui utique statuit peccari etiam contra virtutem ad quam violandam scandalum quis inducit; sed id habet in thesi de scandalum directo ». Ita Ballerinius; sed contra, S. Alphonsus, *loc. cit.*, minime citavit Lugo et Tamburinum pro eo quod vult Ballerinius, sed pro alia sententia: « Secunda sententia, ait S. Doctor, quam tenent Lugo... et Tamburinius..., distinguit, et dicit posse aliquem tripliciter inducere alterum ad peccatum: 1° directe et formaliter...; 2° directe, sed non formaliter...; 3° indirecte... Hinc ajunt quod si scandalum accidat primo et secundo modo, peccat scandalizans non solum contra caritatem, sed etiam contra virtutem ad quam laedendam proximum inducit. Quando vero tertio modo peccat..., tunc peccat tantum contra caritatem ». Ubi vero suam sententiam exponit et probat, S. Doctor adducit Tamburinum et Lugo pro priori ejus membro tantum, scilicet scandalum etiam indirectum, esse peccatum contra caritatem: quod revera uterque tenet; in altero autem membro, in quo probat scandalum esse peccatum contra virtutem ad quam violandam inducit, omnino praetermitit hos duos autores. — Quod spectat ad Collet, Ballerinius ait illum id habere in thesi de scandalum directo, *pag. 327*. Profecto quidem; sed sequenti *pag. 328*, Collet addit: « Jam quaeritur an ea quae mox dicta sunt de scandalum directo, convenient et scandalum indirecto seu interpretativo ». In propositione vero respondet esse speciale peccatum contra caritatem; sed in probatione aperte significat esse etiam peccatum contra alteram virtutem: « Qui libere facit id, quicum cognoscitur aut cognosci potest conjunctum esse alterius peccatum aut peccandi periculum, ejusdem peccati auctor merito existimatur: atqui id facit quisquis etiam indirecte scandalosus est ». Et paulo inferius: « Verum esse..., eos nimur qui solo exemplo moverunt ad inferendum proximo damnum, si hoc praeviderint, aut probabiliter praevidere potuerint, teneri ad restitutionem in defectum eorum qui damnum intulere ». Peccant igitur contra justitiam. Adhuc: « Qui fornicando vel furando, peccati sui testes ad similia peccata inducit, non suae solum fornicationis reus est, sed et alienae, etiamsi eam directe non intenderit ».

Erros
Dominici
Palmieri. De clarissimo Dominico Palmieri pauca dicam. Editor Ballerini, in nota ad Opus posth., *de Legib.*, n. 204, reprehendit S. Alphonsum, quod citaverit Sanchez cum Diana, pro sententia quae negat peregrinos teneri legibus loci, si eadem in suo domicilio vigent; dum contra Thomas Sanchez, *de Matr.*, lib. 3, disp. 18, n. 3, ait Palmieri, vult peregrinos hujusmodi legibus obli-gari. Et sane quidem; atvero S. Alphonsus non citat Thomam Sanchez, sed « *Sanct.* », scilicet Joannem Sanchez, qui, in *Select.*, disp. 54, n. 31, cum Diana, uti ait S. Alphonsus, negat peregrinos dictis legibus teneri.

Idem Palmieri, in nota ad n. 638, *de Poenit.*, ejusdem operis posthumii, scribit: « Nec video cur S. Alphonsus, n. 572, pro sententia affirmante [satis

esse errorem communem absque titulo pro jurisdictione] afferat Lugo, qui, *loc. cit.*, NIHIL HABET, neque hanc speciale agit quaestionem ». Quod hanc speciale quaestionem non agat, libenter concedo; quod vero nihil habeat, prorsus negandum est. Nam Lugo, *de Poenit.*, disp. 19, n. 29, [non vero n. 30, uti scribebat S. Alphonsus] in probatione cuiusdam doctrinae, quae tutissima sibi videtur, haec expresse scribit: « Sicut, quando adest communis error, Ecclesia dat jurisdictionem, propter publicam utilitatem; ita, quando adest opinio probabilis DD. affirmantium dari potestatem, tunc etiam propter communem utilitatem fidelium..., Ecclesia dat jurisdictionem ».

Denique, n. 307, *de Just.*, ejusdem sui operis, Ballerinius afferit S. Alphonsum, qui certo et longe probabilius esse censem, stupratorem teneri adducendam feminam cui promisit matrimonium, etsi vir voverit castitatem ante promissionem, sed addit de contraria opinione: « Ego ipsam nec probabilem nec improbabilem dicere audeo ». In quae S. Doctoris verba, Palmieri in nota addit: « Censem ergo heic S. Alph. posse esse opinionem probabilem, cuius opposita est certe et longe probabilior ». Assertum plane temerarium; nam 1° ipse S. Alphonsus, *loc. cit.*, si non audet vocare improbabilem, dicit etiam: « Ego ipsam NEC PROBABLEM... dicere audeo ». 2° In praefatione Theologiae moralis, a tertia jam editione, S. Alphonsus hunc suum loquendi modum explicans, ait: « Benigne Lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones illas approbare ex eo quod non reprobem... Insuper, quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo judicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo: non audeo damnare, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed judicio prudentiorum remittere ».

Multa alia errorum exempla adducere possem, deprompta ex Croix, Laymann, Salmanticibus aliisque innumeris; nemo enim, quisquis sit, ab errore immunis est; sed mens mea non est texere completam seriem errorum qui in singulis auctoribus reperiuntur; id enim impossibile plane esset, aut studium longissimum requireret. Deinde opus inutile prorsus foret ad propositum mihi finem, neque aliud nisi taedium lectoribus afferret. Multo minus intendi notam qualemcumque alicui inurere. Id unum ostendere volui, non omnino aequam esse accusationem indiligentiae, quae contra S. Alphonsum objicitur, neque ipsi peculiare esse, si quando autores minus recte citaverit.

Quod tamen ad Ballerinium spectat, aliud etiam mihi proposui. Cum enim auctor iste, acris sane ingenii, plus justo proclivis videatur ad aliorum errores carpentes, lectorem de hac insimulandi temeritate commonitum volui, ne facile Ballerinio arguenti fidem praebeat, neve illi affirmanti aut neganti statim credat; sed ut asserta ejus proprius ac diligentius inspiciat, priusquam de re ipsa, verane fuerit an falsa, quidquam ipse statuat.

At quorsum haec spectare possit insimulatio? Num unquam theologi quos recensui, nomen amiserunt propter errores qui in eorum scripta irrepserunt?

In quo-
nam consi-
stat aucto-
ritas scri-
ptoris,

Num Ballerinii, aut Lugonis, aut Sanchezii, aut Lessii, aut alias cuiusque auctoritas inde labefacta est? Minime, et recte quidem. Nemo enim inde fit gravis theologus, quod auctores multos eosque accurate semper allegaverit; sed inde quod rationibus validis suas opiniones fulcierit, rationes contrarias subtiliter radicitusque everterit, et salutares sententias a noxiis prudenter discreverit; adeo ut plerumque in disciplinis theologicis parum valeat auctoritas (de privata auctoritate loquor), multum vero valeat rationis vis ac judicium. Auctorum allegationes eruditionem potius quam scientiam declarant. Et haec adeo vera sunt, ut probabilitas extrinseca, quae directe fundatur in auctorum nomine, resolvatur denique in intrinsecam probabilitatem, scilicet in vim ipsarum rationum quas auctores proferunt. Aptissime ad rem S. Alphonsus, *lib. I*, n. 79: « Auctoritas enim extrinseca, inquit, non aliud operatur quam afferre vis intrinsecae praesumptionem ». Idemque in *Dissert. scholastico-morali* (Neap. 1755), *cap. 4*, n. 119: « Sedulo semper animadvertisendum, quod auctoritas scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum gravitate aestimari debet; ita ut paucorum, vel etiam unius doctoris, speciali scientia ac pietate praediti, auctoritas aliis pluribus aliquando praefereenda sit ».

Haec profecto de quocumque scriptore dici possunt; sed eadem et potiori ratione de Alphonso dicenda erunt, qui, qua erat prudentia et pietate, huc totus vel fere totus scribendo incubuit, ut perpendaret opinionum momenta, ut utilia ab inutilibus, salubria a noxiis secerneret, ut cuique fidelium coetui tutissimam sterneret salutis viam. Hinc S. Doctor in *praefatione Theologiae moralis* scribere non dubitavit: « In delectu autem sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctorati praepone, et priusquam meum ferrem judicium, in eo, ni fallor, totus fui, ut in singulis quaestionibus me indifferenter haberem et ab omni passionis fuligine expoliarem... Ceterum sategi, ut plurimum, meam exponere sententiam, justum pondus tribuendo majoris, vel aequalis, vel minoris probabilitatis cuique sententiae, prout meae imbecillitati visum fuit, ne ancipitem relinquerem lectorem, more aliquorum, qui sententias aliorum tantum referentes, non parum exosos legentibus se praebent ». Quae vel gravioribus expressit verbis, *lib. III*, n. 547: « Testor Deum, cujus honorem et animarum salutem mihi proposui, quod quidquid scripserim, non ab aliqua passione impulsus, aut verbis aliquorum auctorum addictus, vel austeritati aut benignitati nimis adhaerens, ad haec scribenda me induxi. In qualibet quaestione, praevio diuturno studio, curavi quidem veritatem investigare, praeципue in iis quae ad praxim magis faciunt, et propterea non solum diligenter trutina perpendere elaboravi rationes quas doctores classici tradunt; sed etiam plures doctos recentiores consulere non neglexi, adeo ut aliquando, in recto judicio de aliqua quaestione faciendo, multos dies consumpserim. Siquidem non tamquam ovis... semitas scriptorum caeco ductu sectatus sum, sed operam dedi, ut veritatem assequerer, aut sententias quae magis veritati accedunt

amplexarer. Pro viribus sum conatus semper rationem auctorati praeponere, et ubi ratio non convicit, non renui auctoribus plurimis contraire, etiam in quibus magis forsan adhaerere potuissem ».

Atque huic argumento ut finem imponam, liceat mihi verba usurpare quibus Theologus in causa doctoratus votum suum promit: « Quot vero, inquit, in morali theologia occurrant obscura et dubia declaranda modique dissolvendi, in comperto cuique est, qui implexam hanc et salebrosam disciplinam vel a limine salutarit. Quanta in principiorum ad singulos casus applicatione difficultas! quanta in moralitate alicujus actionis determinanda ambiguitas! quanta demum in gravi vel levi alicujus culpe reatu assignando sententiarum varietas! Jamvero Alphonsus in singulorum tractatum quaestionibus, inter oppositas quas refert sententias veluti judex considens, rationum momenta in trutinam suspendit; quo magis propendeant declarat; et quaenam opinio probabilior, quae tutior, quae denique in praxi sequenda, exquisito criteriorum delectu determinat ».

In his explicandis longius immoratus sum, ut quaestionem quam vocant criticam a theologica diligenter sejungerem, utque ostenderem S. Alphonsi laudem in hac ultima potissimum versari, dum prior ad scientiam, praesertim moralem, parum confert. Quid enim ad animarum salutem refert, num opinio quaepiam hujus sit, an illius auctoris, quod investigare ad historicum potius quam ad theologum pertinet? Perpendere autem rationum momenta, noxias opiniones a salutaribus secernere, rectam viam animabus demonstrare, hoc est theologi proprium, eoque S. Alphonsus maxime spectavit.

Est tandem aliud notandum, quod, nisi luculenter explicetur, lectori admirationem movere potest. Aliquando enim S. Alphonsus sibi non satis constare, et secum pugnantia videtur docere. Quod tamen auctoris oblivioni tribuendum est. Nam, ut supra jam dixi, S. Doctor a secunda editione moralis suam Theologiam ad tantam perfectionem adduxerat, ut in ulterioribus editionibus quaestiones dumtaxat peculiares ad trutinam passim revocaverit; et ita quidem non omnia in singulis editionibus iterum perlegit, sed ea tantum correxit, quae eo tempore immutatione indigere sibi viderentur. Verum, cum subinde de eodem argumento diversis in locis tractaret, quandoque etiam accidit ut, uno loco reformato, alterum praetermisserit; humanis enim viribus impar est, posse semper opportuno tempore singulis attendere, uti scribebat ipse Sanctus¹ ad Remondinium, die 27 Januarii 1757. Idem etiam tribui potest vel nimiae festinationi editoris, qui haud raro opera S. Alphonsi excudebat, non exspectatis additamentis a S. Doctore sibi transmissis; vel denique locorum ac regionum longinquitati, qua fiebat ut litterae auctoris Venetias non semper pervenirent, ut liquet ex compluribus ejusdem epistolis. Quaedam hujus rei

Quando-
que S. Al-
phonsus si-
bi contradi-
cit: explica-
tur.

¹ Corrispond. spec., epist. 28.

exempla habentur in mea dissertatione de *Morali systemate S. Alphonsi*; omnia hic reperientur adnotata propriis locis.

Restat ut benigno lectori paucis explicetur ratio hujusce novae editionis, et quid in ea ipse praestiterim.

Quid praeferat haec nova editio.

Textum nonae editionis eligendum esse lectoribusque proponendum existimavi; haec enim editio, anno 1785 typis excusa, postrema est earum, quae vivente auctore, prodierunt; eademque, S. Sedis iudicio subjecta, solemnis sententia declarata est ab omni censura immunis. Cui tamen editioni non adeo devinctum me esse putavi, ut ipsam non etiam conferrem cum antiquioribus ejusdem operis editionibus, speciatim (quod ad rerum substantiam pertinet) cum septima. Haec enim, uti supra notavi, nonnullas exhibet quaestiones diligentius discussas, quin etiam aliqua refert quae prius plane omissa fuerant, et posterius (qua de causa nescio) in octava et nona exciderunt. Haec sunt praeter dissertationem de tyrannicidio (*lib. 3, n. 381*), quaedam de jejunio quaestiones, *lib. 3, n. 1016, 1027 et 1036*; item *lib. 6, n. 594*, de facultate episcoporum absolvendi a casibus papalibus.

Neque his contentus, diligenter etiam inter se contuli varios locos, de uno eodemque argumento in Theologia morali tractantes, atque ipsam Theologiam moralem conferre studui cum reliquis S. Doctoris operibus, praesertim vero cum sexta editione libri *Istruzione e Pratica*, anno 1765 Neapoli impressa.

Qui liber quanti sit faciendus, ex hac S. Alphonsi ad Remondinium epistola manifeste liquet: « Quodsi, inquit, opus meum *Istruzione*, vernacula lingua exaratum, ac tribus parvis tomis constans, typis iterum mandare volueris, me de hac re certiores reddas velim; modo enim Neapoli jam excusum est opus istud; quod ut compertum habui, statim utilia non pauca adjicienda curavi, et quaedam etiam emendavi ¹ ».

Praeterea, ubicumque apud S. Alphonsum aliquid reperi, quod alio modo quam in Theologia morali exponeretur, id sedulo adduxi ac notavi, ut ita Alphonsus ipso Alphonso interprete explicaretur. Ubi vero animadverti S. Doctorem, sive in variis operibus, sive in variis ejusdem operis locis, non constantem loqui, hanc in dijudicandis pugnantibus sententiis regulam secutus sum, ut quod tempore recentius esset, id praeferendum esse duxerim, tamquam fidelius ac certius mentem auctoris testificans. Horum exempla habes, praeter alia sexcenta, *lib. 1, n. 20*, nota *a*, de coincidentia opinionis probabilis cum dubio positivo; *n. 56*, nota *a*, de casu quo opinione contrariae sunt fere vel quasi aequae probabiles; *lib. 1, n. 107*, nota *h*, de intentione requisita

¹ « Se mai V. S. Illma volesse ristampare la mia *Istruzione* volgare, de' tre tometti, me l'avvisi; perchè in Napoli ultimamente hanno già ristampata di nuovo questa *Istruzione*; e sapendo io che la ristampavano, vi ho aggiunte molte cose buone, e certe altre anche riformate ». Epist. de die 1 Augusti 1765. Corrispond. spec., lett. 160. Cfr. etiam epistolam, de die 4 Septembris 1765, de eodem argomento. Ibid., lett. 161.

ad consuetudinem introducendam; *lib. 2, n. 66*, nota *f*, de licita cooperatione ad damnum proximi, ubi malum aequale tibi imminet.

Quodsi quid a S. Sede Apostolica sancitum vel declaratum fuerit, quo S. Alphonsi doctrina confirmata sit, vel quandoque immutata; aut si quid etiam additum fuerit ab eadem S. Sede, de quo praeteritis temporibus scholae non disputarent, id sedulo notavi et adjeci, ut inde lector ob oculos haberet quidquid de qualibet materia praesens Ecclesiae disciplina prohibeat, praescribat aut concedat. Hujusmodi sunt, praeter alia multa, quaedam de matrimonii impedimentis, de absolutione a censuris vel a casibus reservatis, de jejunio, de ordinum collatione extra tempora, etc. Cfr. in specie de *Privileg.*, *n. 40*, nota *a*; *n. 44*, nota *a*; *n. 56*, nota *f*; *n. 116*, nota *e*; itemque, *lib. 3, n. 319*, nota *v*.

Pariter, quae in materia justitiae et contractuum recentiores nationum codices immutaverunt, modo tamen legi Dei, naturae aut Ecclesiae non adversentur, ea, ex clarissimo Clem. Marc deprompta, in notis subjectis diligenter referam.

Quod ad auctorum allegationes attinet, duplicem hanc legem servandam esse existimavi: 1° quidem, ut quoties certo constaret erroneam allegationem ex typographicō mendo promanasse, genuina citatio sine ulla animadversione restitueretur. Idque non solum quando error deprehendebatur ex collatione antiquiorum editionum ipsius Theologiae moralis, verum etiam quando idem compertum erat ex auctorum lectione, a quibus S. Doctor allegationem mutuatus erat. Ut, v. g. *lib. VI, n. 369*, S. Alphonsus citat *Hostiensem* ex Escobar; sed apud Escobar, habetur *Astiens* ex Silvestro; Silvester denique citat *Astensem*, id est Summam Astensem; et ita in praesenti editione restituta reperietur allegatio. Idemque plerumque servandum existimavi, ubi nomen quidem auctoris recte afferebatur, sed falsa erat loci indicatio.

Secundo, si falsitas mendo tribui non possit, hanc alteram legem servavi, ut scilicet in notis textui subjectis, errorem ingenue patefacerem, sive hic a S. Alphonso fuerit admissus, sive ab Hermanno Busenbaum; sive demum a quocumque alio auctore promanaverit. Ubi sola explicatione citatio indigebat, ut ad limites veri reduceretur, id etiam fideliter praestiti. Nec semper in hac inquisitione satis fuit unum dumtaxat auctorem evolvere, a quo scilicet sanctus Doctor noster immediate desumpserat allegationem, sed quandoque plures adire debui, per quos, tamquam per gradus, ad ultimum denique ac principalem citationis fontem pervenirem. Notabilius hujus rei exemplum occurrit *lib. III, n. 319*, ubi S. Alphonsus, de indulto oratorii privati disputans, expendit primam clausulam, et quaerit: an privilegiatus transferendo domicilium in aliam dioecesim possit ibi illo uti. Cui respondet: « Affirmant communissime... Lacroix cum Silv... », quia nempe est personale privilegium. Inspiciendus igitur fuit Lacroix, ut notus fieret locus a Silvestro desumptus. Lacroix tamen, *lib. 6, part. 2, n. 269*, ad quem remittit S. Alphonsus, non

magis locum Silvestri indicat, et scribit: « *Silv...* cum Diana, *part. 9, tr. 1, resol. 7* ». Tum Dianam adivi; sed spes mea delusa est; Diana enim, non jam pro ipsa propositione, sed pro ratione adjecta citat Silvestrum, et praeterea locum silentio praetermittit: « *Probatur 2°, inquit, quia, sicut cessante omnino causa privilegii, ipsum cessat...; sic perseverante causa ejus concessionis, ipsa perseverat, licet aliae circumstantiae mutantur* ». Et addit idem esse de quacumque dispensatione: « *Sic DD... Silv. et alii, apud Bonac., de Dispens., p. 10, § 1, prop. 3, n. 5 et 9* ». Ulterius ergo progressus, Bonacinae percensui, sed eheu! res mihi in pejus ruit; nam quidquid dicat Diana, Bonacinae loc. cit., citat Silvestrum pro sententia quae negat dispensationem cessare, cessante ejus causa; et n. 5, indicat Summam Silvestri, v. *Dispensatio, quaer. 6*. Hinc ad Silvestrum accessi, et reperi loc. cit., rem neque ipsi Bonacinae prospere contigisse; ibi enim Silvester non de finali, sed de efficiente dispensationis causa tractat, et haec dumtaxat scribit: « *Sexto quaeritur quando expiret potestas dispensandi concessa. Et dicit Fede..., quod concessa a Papa super irregularitate vel legitimitate, durat etiam post mortem ejus, quia gratia semel facta per Papam in aliquam personam non expirat per mortem Papae... Utrum autem per mortem illius cui concessa erat talis auctoritas, expiret dispensatio jam facta, si ille dispensatus tali gratia non fuit usus; puta dispensatus fuit, ut posset ordinari, vel eligi in praelatum, et ante mortem dispensantis non accepit ordines nec fuit promotus; dicit idem ibi quod non: quia dispensatio semel canonice facta ex superveniente facto non retractatur* ».

Quae profecto quantum distent ab illa propositione, quae de oratorio privato probanda assumpta erat, nemo non videt; ideoque in hac editione, lib. IIII, n. 319, nota b, reperies Silvestrum citatum quidem esse a Lacroix, sed allegationem ad rem non esse.

Quod ad textum Hermanni Busebaum pertinet, editionem Monasterensem anni 1652 seligendam putavi, quippe quae, « ab auctore recognita et plurimum aucta », castigatior ceteris est, ac melius mentem auctoris refert; sed eam quandoque cum aliis, sive antiquiore anni 1650, sive etiam quibusdam recentioribus, contuli.

In proponendis vero auctorum locis (singulos enim quosque in hac editione indicatos reperies) eam diversitatem introduxi, ut numeris signarentur allegationes quas S. Alphonsus ipse tradidisset; contra vero, ubi S. Doctor nomen tantum auctoris ab alio mutuatus erat, et locum citatum silentio praetermisserat, nomen illius auctoris iterum exscriberetur in notis, et postea locus citatus proferretur; ut ita quid S. Alphonsi, quid vero editoris esset, lector confessim posset discernere.

Deinde notulas in margine inserendas curavi, quibus tum libri lectio facilior evaderet, tum opiniones de quolibet arguento, ac judicium S. Alphonsi de singulis opinionibus, compendiose ob oculos lectorum ponerentur.

Denique, quo strictius in officio editoris me continerem, illum tractatum ordinem servatum volui, quem ipse Beatus Doctor in suis editionibus constanter tenuit, quidquid demum alii in hac parte immutandum esse duxerint.

Huic praeparandae editioni non pauci sodales per annos plurimos incubuerunt; ex iis tres praeprimis commemorandi sunt tamquam de parente et doctore Alphonso optime meriti. Horum primus incredibili solertia et constantia libros, quotquot inveniri potuerunt, undique collegit, quorum adminiculo cogitatum opus perfici posset. Alii duo jam e vivis sublati sunt; fuerunt autem P. Michael Ulrich, qui totam operis rationem excogitavit, concordantiumque omnium Theologiae moralis editionum, quibusdam aliis ipsum adjuvantibus, quam accuratissime texuit; et P. Joannes Baptista Eichelsbacher, qui per tredecim annos in inquirendis locis auctorum citatis, indefesse adlaboravit. Rebus ita comparatis et inceptis, ego tandem postremus accessi, in aliorum messem veluti subintrans, quamquam et ipse decem et octo annos hucusque, nec sine virium jactura et valetudinis dispendio, operi huic salebroso et saepe molestissimo fere totus incubui. Bibliothecas multas non solum in hac Alma Urbe, verum etiam in aliis Italiae, Hispaniae, Galliae ac Germaniae urbibus existentes exploravi; omnium auctorum quaecumque allegata oculis meis iterum perlegi, notasque conscripsi. Paucissimi sunt, iisque non magni ponderis, auctores quos reperire nequiverim; paucissima item allegata, quae ab aliis, benigne semper et humaniter, transmissa acceperim.

Velle equidem tibi, lector benevole, opus offerre omnibus numeris absolutum; at quis unquam se quovis errore aut vitio immunem putare queat?

Maxima profecto diligentia opus perficere conatus sum; at plane etiam mihi conscientius sum vires non semel defecisse. In tam longo (ita de se ipse scribebat D. Joannes Mabillon in Praefatione tomii IV Annalium Ord. S. Benedicti: quae verba mea facere liceat), tam multiplicium rerum decursu, difficile, immo impossibile est non errare aliquando; errata tamen mea, ubi mihi comperta fuerint, agnoscere et emendare non erubescam, iis omnibus gratiam habiturus, qui eorum me amice et benevole admonuerint. Verum non omnino rigidos ac severos monitores censoresve mihi adesse velim. Multa mihi condonari, quae quidem tolerabilia sint, multa indulgeri opto, excepto si quid contra quemquam inofficiose, maxime si quid vel tantillum contra debitam catholicae Romanae Ecclesiae reverentiam vel doctrinam mihi nec cogitanti et nolenti excidisset. Absit enim ut ab hac regula veritatis, matre, inquam, Ecclesia, unquam dissentiam, cuius judicio ac censurae, quaecumque hactenus scripsi vel posthac scripturus sum, lubens, volens et ex animo submitto.

Romae, die 14 Maii, festo Patrocinii S. Joseph, 1905.

LEONARDUS GAUDÉ,
e Cong. SS. Red.

Quinam
huic editio-
ni incubue-
rint.

conclusio.

DECRETUM S. R. C.

QUO

CONCEDITUR SANCTO ALPHONSO TITULUS DOCTORIS ECCLESIAE
URBIS ET ORBIS.

Inter eos qui fecerunt et docuerunt, quosque Dominus Noster Jesus Christus magnos fore vocavit in regno caelorum, merito recensendus est SANCTUS ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore institutor et Sanctae Agathae Gothorum episcopus. Hic virtutum omnium exempla faciens, veluti lucerna supra candelabrum posita, omnibus christifidelibus, qui in domo Dei sunt, adeo illuxit, ut jam inter cives Sanctorum et domesticos Dei fuerit relatus. Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem ipse errorum tenebras, ab incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis operibus, maximeque Theologiae moralis tractationibus distulit atque dimovit. Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias tutam straverit vim, per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent. Simulque Immaculatae Deiparae Conceptionis et Summi Pontificis ex cathedra docentis infallibilitatis doctrinas accurate illustravit ac strenue asseruit, quae postea aeo hoc nostro dogmaticae declaratae sunt. Scripturarum denique aenigmata reseravit tum in asceticis lucubrationibus, caelesti quadam suavitate refertis, tum in saluberrimo quodam commentario, quo Psalms et Cantica in divino Officio a clericis recitanda, ad eorum pietatem fovendam et mentem erudiendam explanavit. Summam Alphonsi sapientiam jam demiratus fuerat Pius VII, sanctae memoriae, eumque commendaverat, quia voce et scriptis in media saeculi nocte errantibus vim justitiae ostendit, per quam possent de potestate tenebrarum transire in Dei lumen et regnum. Neque minori laude inuisitatum vim, copiam varietatemque doctrinae in libris ab ipso conscriptis prosequutus est alter Summus Pontifex Gregorius XVI sa. me., in Litteris decretalibus, quibus Alphonso maiores Caelitum honores tribuebantur.

Verum temporibus hisce nostris adeo sapientiam ejus enarrant gentes, et laudem ejus enuntiat Ecclesia, ut plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, fere omnes totius orbis sacrorum antistites, supremi religiosorum Ordinum moderatores, insignium academiarum theologi, illustria canonicorum collegia, et docti ex omni coetu viri supplices libellos Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifici Maximo porrexerint, quibus communia exposuere vota, ut Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio Doctoris Ecclesiae titulo honoribusque cohonestaretur. Sanctitas Sua preces benigne excipiens, gravissimum hujusmodi negotium de more Sacrorum Rituum Congregationi expendendum commisit. Itaque in ordinariis comitiis ad Vaticanas Aedes infrascripta die collectis, Emi et Rimi Patres Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, audita relatione Emi et Rimi Cardinalis Constantini Patrizi, Episcopi Ostiensis et Velleternensis, Sacri Collegii Decani, eidem S. Congregationi Praefecti, causaeque Ponentis, consideratis animadversionibus R. P. D. Petri Minetti, Sanctae Fidei Promotoris, Patroni causae responsis, nec non theologorum pro veritate sententiis; omnibus

LITTERAE APOSTOLICAE
DE SANCTO ALPHONSO MARIA DE LIGORIO
TITULO ECCLESIAE DOCTORIS AUCTO.
PIUS PP. IX

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quia Ecclesiae suae nunquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suae immaculatae Sponsae esse perspexerit, insignes excitat pietate et doctrina viros, qui, repleti spiritu intelligentiae, tamquam imbras mittant eloquia sapientiae suae. Neque enim sine providentissimo Omnipotenti Dei consilio factum est, ut, quum Jansenistarum doctrina novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, tunc potissimum extaret ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, Congregationis a Sanctissimo Redemptore institutor, et Sanctae Agathae Gothorum episcopus, qui, bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiae; scriptisque doctis et laboriosis, istam ab inferis excitatam pestem radicibus evellendam, et ab agro dominico exterminandam curaret. Neque vero has solum sibi partes depoposcit Alphonsus; sed in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, plurimos libros conscripsit, sacra eruditione et pietate referens, sive inter implexas theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tuam muniendam viam, per quam christifidelium animarum moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad clerum informandum, instituendum; sive ad catholicae fidei veritatem confirmandam, et contra cuiuscumque generis aut nominis haereticos defendendam; sive ad asserenda hujus Apostolicae Sedis jura; sive ad fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro praedicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui, maxima saltu ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quae, tum de Immaculata Sanctae Dei Genitricis Concepcione, tum de Romani Pontificis ex cathedra docentis infallibilitate, plaudente christiano populo, et frequentissimo universi catholici orbis antistitum consessu approbante, a Nobis sancta sunt, in Alphonsi operibus reperiuntur, et nitidissime exposta, et validissimis argumentis demonstrata?

Quamobrem in hunc perbelle cadit nobilissimum illud divinae Sapientiae praeconium: Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requiretur a generatione in generationem: sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudes ejus enuntiabit Ecclesia. Ac Pius VII, praedecessor Noster, recolendae memoriae, summam Alphonsi sapientiam demiratus, gravissimum hoc de eo protulit testimonium: Voce, nimurum, ac scriptis in media saeculi nocte errantibus viam justitiae ostendisse, per quam possent de potestate tenebrarum in Dei lumen ac regnum transire. Item fel. rec. successor Noster Gregorius XVI incredibilem Alphonsi dicendi vim, copiam varietatemque doctrinae maximis laudibus prosequutus, eum Sanctorum Caelitum fastis adscripsit. Tandem nostri hisce temporibus, plurimi Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, omnes totius orbis sacrorum antistites, supremi religiosorum Ordinum moderatores,

XLVIII DECRETUM S. R. C. QUQ CONCEDITUR S. ALPHONSO TITULUS DOCTORIS ECCL.

*denique severissime hinc inde libratis, unanimi consensu prescribendum censuerunt: Consulendum Sanctissimo pro concessione seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa jam concessis, addito *Credo*, Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis *O Doctor*, ac Lectionibus I Nocturni *Sapientiam*, et VIII Responsorio *In medio Ecclesiae*. Die 11 Martii 1871.*

Postmodum facta horum omnium et singulorum eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, per infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium, fideli relatione, Sanctitas Sua S. Congregationis rescriptum adprobavit et confirmavit; ac desuper generale decretum Urbis et Orbis expediri mandauit, die 23 iisdem mense et anno.

C. Ep. Ostien. et Veltin. Card. PATRIZI, S. R. C. Praef.

Loco Signi.

D. BARTOLINI, S. R. C. Secretarius.

insignia sodalium theologorum corpora, illustria canonicorum collegia, et docti ex omni coetu viri supplices Nobis preces porrexerunt, ut Sanctum Alphonsum Mariam de Ligorio DOCTORIS ECCLESIAE titulo honoribusque augeamus. Nos itaque, piis hisce precibus obsecundare libenti animo volentes, gravissimum hoc negotium ut moris est, Congregationi VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium tuendis Ecclesiae Ritibus praepositorum expendendum commisimus. Jam vero cum dicta VV. FF. NN. Congregatio in ordinariis comitiis ad Vaticanas Aedes die xi Martii hujus vertentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Constantini S. R. E. Cardinalis Patritii nuncupati, episcopi Ostien. et Veltinensis, ejusdem Congregationis Praefecti, causaque Ponentis; consideratis animadversionibus dilecti filii Petri Minetti presbyteri, Fidei Promotoris; item patroni causae responsis, nec non theologorum pro veritate sententiis; omnibus denique rationum momentis sedulo attenteque perpensis, unanimi consensu rescribendum censuerit: Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi Mariae de Ligorio, cum Officio et Missa jam concessis; addito Credo, Antiphona ad Magnificat in utrisque Vesperis O Doctor, ac Lectionibus I Nocturni Sapientiam, et VIII Responsorio In medio Ecclesiae; - Nos rescriptum istud, edito die xxiii ejusdem mensis et anni generali Urbi et Orbis decreto, approbandum confirmandumque existimavimus.

At enim dilectus filius Nicolaus Mauron, Superior Generalis et Rector Major Congregationis Santissimi Redemptoris ad jam memoratam Cardinalium Congregationem tuendis Ecclesiae Ritibus supplex adiit, ut in Festo ejusdem Sancti Alphonsi, per decretum, de quo habita ante mentio est, inter Ecclesiae Doctores adsciri, in Martyrologio Romano, post verba: Sanctorum fastis adscripsit, sequentia adderentur. Et Pius IX, Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit; item in VI Lectione, post verbum: accensuit, haec alia: Tandem Pius IX, Pontifex Maximus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctorem declaravit; utque concessiones omnes hac super re factae, Apostolicis nostris Litteris confirmarentur. Quae quidem Cardinalium Congregatio cum in conventu, die xxii mensis Aprilis hujus anni de more habito, rescripsit: Pro gratia; Nos die xxvii mensis ejusdem, rescriptum illud ratum habuimus, atque Apostolicas Litteras in forma Brevis expediri mandavimus. Quae cum ita sint; memorati dilecti filii Nicolai Mauron obsequuti votis, deque consilio VV. FF. NN. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis legitimis Ritibus cognoscendi, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentum, titulum DOCTORIS in honorem Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, Congregationis a Sanctissimo Redemptore instauratoris et Sanctae Agathae Gothorum episcopi, confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo ei tribuimus, impertimus; ita quidem ut in universalis Catholica Ecclesia semper is Doctor habeatur, atque in die festo anniversario tum a regulari, tum a saeculari clero celebrando, Officium et Missa fiat juxta Sacrae Rituum Congregationis decretum rescriptumque, quod memoravimus. Praeterea hujus Doctoris libros, commentaria, opuscula, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatum, sed publice in gymnasii, academiis, scholis, collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus, sermonibus, omnibusque aliis ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari; proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus.

Tandem, ut christifidelium pietas ad hujus Doctoris diem festum rite colendum, ejusque opem pie implorandam magis accendatur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui in die festo ejusdem Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscujusque christifidelis arbitrio sibi diligendo, vere poenitentes et sacramentali confessione praemissa, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex ecclesiis Congregationis Sanctissimi Redem-

ptoris devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione prias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenarium omnium peccatorum suorum Indulgenciam et remissionem, quae etiam animabus christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari poterit, miserericordier in Domino in perpetuum concedimus.

Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis per universum terrarum orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancta sunt, in suis provinciis, civitatibus, ecclesiis et dioecesis sollemniter publicari, et ab omnibus personis ecclesiasticis saecularibus et quorumvis Ordinum regularibus, ubique locorum et gentium inviolabiliter et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus concilis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibetur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibilae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die vii Julii MDCCCLXXI. Pontificatus Nostri anno vigesimosexto.

Pro Dño Card. PARACCIANI CLARELLI,
FELIX PROFILI, Substitutus.

Loco  Annuli Piscatoris.

EPISTOLA NUNCUPATORIA SANCTI ALPHONSI

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV

PONTIFICI MAXIMO

ALPHONSUS DE LIGORIO.

Tuae dignitatis Majestas, Beatissime Pater, doctrinae, atque eruditionis tuae fastigium, ne Tibi hoc meum Opus Morale simpliciori, ac prorsus humili stylo conscriptum exhiberem, aut suadere me omnino, aut dubitantem deterrere magnopere debuissent: summa vero Sanctitatis Tuae benignitas, ac ferventissimus zelus, qui in Te semper enituit, prius ut optimi praesulis singularum ecclesiarum partes absolveres, et deinde ut Summi universalis Ecclesiae Pastoris muneri vigilantissime satisfaceres, me impulerunt, ut hos tenues labores meos, quos nonnisi pro animarum salute suscipere, et in publicam edere lucem constitui, Tibi libertissime dedicarem. Cum enim fuisse Dei beneficio vocatus ad missionum ministerium pro adjuvandis populis per rura dispersis, iisque potissimum, qui spiritualibus magis destituantur auxiliis, visa mihi ad hoc fuit necessaria scientia plusquam mediocris rerum moralium, quae tum ad instruendas, tum ad regendas animas esset accommodata. Qua de re tam pro mea, quam pro juvenum nostrae Sodalitatis intelligentia opportunum duxi opiniones probabiliores utilioresque ad animarum salutem seligere. Cumque plurimis per plures annos electis auctoribus tam benignae, quam rigidae sententiae, alios nimium benignitati indulgentes, alios nimium austeritati addictos comperisse, operae pretium me facturum credidi, si librum ederem qui medium viam tenens, sententias magis veritati consonas, magisque scitu necessarias ad conscientias dirigendas exponeret; atque, hac arrepta opportunitate, multa in eo ad proximam pertinentia, quae sacrarum missionum exercitio didiceram, fratribus meis committerem. Opus Deo juvante coepi et absolvi, et absolutum typis demandavi: quod cum universe fuerit acceptum, rursusque debuerit publici juris fieri in meliorem ordinem redegi, diligentius quibusdam doctrinis enucleatis, compluribus aliis adjectis, additisque insuper aliquibus dissertationibus de infallibilitate definitionum Pontificiarum, et de earundem supra concilia superioritate.

At quia libri omnes, qui ex theologiae principiis, fidei ac morum controversias pertractant, Tibi soli debentur, qui et summus es theologiae princeps, unusque Ecclesiae moderator, divinae veritatis conservator et vindex, unusque controversiarum judex, ab ipso Deo singulari providentia ad hoc constitutus, prout dixit Maximianus episcopus Constantinopolitanus (Epist. ad Orientales): « Omnes fines terrae, omnesque veram fidem profitentes in Romanorum Pontificum potentiam tamquam in solem respicere, quem de ceteris mortalibus ex terrarum orbe conditor orbis elegit, cui cathedral magisterii principaliter possidendam tenere perpetuo privilegii jure

« concessit, ut quisquis divinum aliquod, sive profundum nosse desiderat, ad hujus praceptionis oraculum doctrinamque recurrat ».

Hinc juste hoc opus Tibi dicandum existimavi, eoque magis, quod una ex praecipuis causis, quae me ad illud edendum induxerunt, fuit, ut cognitas omnes haberent saluberrimas bullas epistolasque encyclicas Tuas, quae tantopere profuerunt et prodierunt usque ad saeculorum consummationem universali morum reformationi cunctorum fidelium: quandoquidem in eisdem S. T. summa prudentia neque ad nimium rigorem, neque ad nimiam benignitatem declinans, sed temporum defectui descendens, mira suavitate disposuit id quod cum ingenti animi fortitudine sibi posuerat.

Fuit praeterea mihi consilium plurimas in medium doctrinas proferre, quas ex aureis Tuis operibus sum eductus, quibusque S. T. non pauca immortali recordatione digna, atque ediscenda universae reipublicae litterariae tradidit. Haec enim Tua grandis doctrinae eminentia, non minus quam reliquae quae in Te eluent virtutes, nempe morum integritas, admiranda a propinquis alienatio, prudentia singularis, incomparabilis salutis animarum zelus, et summo sacerdotio apprime necessarius, Te supremo Pontificatu dignissimum reddiderunt.

Demum, si librorum dedicationes solent testes esse grati animi, ac non immemoris acceptorum ab aliquo magno principe beneficiorum, cum unus ipse sim ex Fratribus Congregationis SS. Redemptoris, cui Tu nuper Apostolicam auctoritatem benignissime accommodasti, oportebat jure merito, ut Tibi uni hoc opus sisteretur, ac praeterea nemini.

Tu igitur, Beatissime Pater, per illam, qua genus humanum complectenis, caritatem, per curam illam quam christianis omnibus enixe et debes et praestas, per illum ipsum cuius in terris vices fungeris Jesum Christum, excipe pietate qua soles hoc qualemque munuscum, quod Tibi sacro et praesento, ut modereris, corrigas, deleas quicquid in eo veritati absonum visum fuerit; et si quid boni est, faveas et tuearis, paternaque ac Apostolica Benedictione Tua prosequi non dedigneris tum opus ipsum, ut animarum proposit saluti, tum me sodalesque meos, ut in nostro ministerio divinae gloriae cooperantes, uberrimum in vinea Domini fructum reportare valeamus.

Nostrum autem erit jugiter Deo fundere preces, ut universo christiano orbi Sanctitatem Tuam diu servet incolument, diuque in terris relinquat, quo tandem aliquando, non sine Omnipotentis Dei praesidio, catholicae religionis hostes, omnesque a vera fide aberrantes ad ovile fideliumque coetum, ad unicum salutis portum feli- cissime ducantur.

RESPONSUM BENEDICTI XIV

DILECTO FILIO ALPHONSO DE LIGUORI, PRESBYTERO CONGREGATIONIS
SANCTISSIMI REDEMPTORIS

BENEDICTUS XIV

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Abbiamo ricevuta una sua lettera degli otto di Giugno, unitamente col secondo tomo della sua Morale, ed altri pure suoi libri di minor mole, ma di gran profitto per la salute delle anime. Noi la ringraziamo del regalo, ed avendo data una scorsa al libro della sua Morale (ch'è dedicato a Noi, del che rendiamo particolari grazie), l'abbiamo ritrovato pieno di buone notizie; ed ella può restar sicura del gradimento universale e della pubblica utilità. Tratto tratto l'anderemo leggendo, e speriamo che quanto leggeremo, corrisponderà a quanto abbiamo letto. Terminiamo col darle l'Apostolica Benedizione.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 15 Julii 1755,
Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

PRAEFATIO SANCTI ALPHONSI

AD LECTOREM

QUI ROGATUR LEGERE HANC PRAEFATIONEM PRO INTELLIGENTIA
TOTIUS OPERIS.

Cum praecipuum sit intentum nostrae minimae Congregationis SS. Redemptoris missionibus vacare, cumque missionariorum exercitio necessario annexum sit munus conscientias hominum instructionibus et confessionibus dirigere: ideo plurimis abhinc annis excogitavi juventuti Sodalitatis nostrae librum de re morali tractantem tradere, qui medium inter alios aut nimis rigidos, aut nimis benignos viam teneret. Opus absolvvi, sed quia nimis festinanter fuit illud typis demandatum, ut aliis satisfacerem, mihi non satisfeci; plura enim in eo vel non bene excussa exciderunt, vel confuso ordine fuerunt exposita. Idcirco, cum ea diligentiore examine, nec non clariore methodo indigere animadvertissem, animum ad secundam editionem applicui, in qua ad meliorem ordinem omnia redigere curavi, et utilissimis doctrinis librum copiosorem reddere. Nonnullas etiam opiniones (temporis decursu rebus ad sedu- liorem trutinam revocatis), hominem me agnoscens, reformavi. Neque in hoc erubui, cum D. Augustinus non erubuerit in pluribus se retractare; sicut etiam D. Thomam fecisse testantur Cajetanus, Catharinus et Capreolus, ac ipse Doctor Angelicus (3 p., quæst. 9, art. 4.) sic fassus est: *Quamvis aliter alibi scripserim. Ut enim Tullius dixit: Sapientis est mutare consilium. Et alibi: Nunquam laudata fuit in una sententia permancio.*

Nemini autem superfluum videatur, post tot libros scientiam moralem pertractantes, hunc me suscepisse laborem, quasi actum agerem; cum etenim plurimos legerim auctores, alios inveni, qui plus aequo indulgentes iis qui (ut ait Isaias cap. 30) dicunt: *Nolite aspicere nobis ea quae recta sunt, loquimini nobis placentia;* consuunt pulvilllos sub eorum capite, ut in peccatis misere conquiescant: haud enim dubitandum, multum detrimenti Dei Ecclesiam sentire ex istorum auctorum sectatoribus, cum major hominum laxioris vitae pars ad illos concurrat. Contra vero reperi alios, qui ad reprobanda assueti quaecumque extremam rigiditatem non sapiunt, consilia cum praeceptis confundunt, novisque mandatis conscientias aggravant, humanam imbecilitatem nihil pensi habentes, nihilque memores illius sacri canonis (cap. ult. de Transact.) qui admonet: *In his vero, super quibus jus non inventitur expressum, procedas aequitate servata, semper in humaniores partem declinando, secundum quod personas et causas, loca et tempora videris postulare.* Et hoc modo jugum Christi Domini, quod est suave, intolerabile redditum, viamque salutis, sic pluribus praecidunt, juxta illud S. Ambrosii: *Sunt etiam in nobis qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quae non possit humana conditio sustinere.* (In Psal. 118, Serm. 5.) Utraque sane extremitas maxime periculosa; nam prima spatiösam viam relaxatione ad perditionem aperit; altera (ut ait perdoctus Cabassutius in Theor. jur. Praef. ad Lect.) duplii tramite urget animas in ruinam, erronea scilicet conscientia et desperatione; cum plurimi, audita hac rigidiore doctrina, in mortalia labuntur, vel credentes inesse lethale peccatum ubi non est, vel nimia difficultate deterriti, impossibile putantes eo modo posse salvari, salutis suae curam penitus abjiciunt.

Propterea in lucem edere deliberavi hoc novum opus, quod inter opiniones nimis severas medium locum teneret, quodque non tam diffusum esset, ut non facile legeretur; nec tam breve, ut in multis deficeret. Concinnatas in hoc reperias omnes quaestiones et res morales, quae magis ad praxim deserviunt. Ut vero sententias veritati conformiores seligerem in quacumque quaestione, non parum laboris impendi; per plures enim annos quamplurima auctorum classicorum volumina evolvi tam rigidae quam benignae sententiae, quae ultimo (ut arbitror) in publicum prodierunt. Praesertim autem sedulam operam navavi in adnotandis doctrinis D. Thomae, quas in suis fontibus observare curavi. Insuper in controversiis intricioribus etiam doctos juniores consului.

Praeterea hic invenies, in suis propriis locis diligent studio adnotatos, textus tum canonicos tum civiles ad rem pertinentes. Item propositiones damnatae, et (quod utilius) decreta recentiora Summorum Pontificum, et praecipue bullas sanctio-nesque nuper editas a SS. D. N. Papa Benedicto XIV. Nec non plurima hic exposui, quae magis missionum et Confessionum exercitio, quam librorum lectione didici. Ut autem justa methodus servaretur, Medullam Hermanni Busembaum praemittendam censui, non jam ut omnes ipsius auctoris opinones approbare, sed tantum ut ejusdem methodum sequerer, quae, inter aliorum auctorum methodos, ad res morales exponeendas valde accommodata mihi visa fuit; deinde ut tyronibus nostrae Congregationis, juxta finem mihi principaliter propositum, magis prodessem, ad modum captu faciliorem meas Appendices studui exarare. In hoc enim maxime incubui, ut potius in claritate, quam in sermonis elegantia abundarem.

In delectu autem sententiarum ingens cura mihi fuit semper rationem auctorati praeponere; et priusquam meum ferrem judicium, in eo (ni fallor) totus fui, ut in singulis quaestionibus me indifferenter haberem, et ab omni passionis fuligine expoliarem. Quod satis, benevole Lector, ex eo cognoscere poteris, quod ego non paucas sententias, quas in prioribus hujus operis editionibus tenueram, in hac postrema mutare non dubitavi. Ceterum sategi ut plurimum meam exponere sententiam, justum pondus tribuendo majoris, vel aequalis, vel minoris probabilitatis cuique sententiae, prout meae imbecillitati visum fuit, ne anticipitem relinquerem lectorem, more aliquorum, qui sententias aliorum tantum referentes, non parum exosos legentibus se praebent. Ubi vero non inventi rationem pro una parte convincentem, non sum ausus oppositam damnare, more aliorum, qui nimis facile reprobant opiniones, quas plures et graves auctores tuentur, quorum doctrinas praelaudatus N. SS. P. Benedictus (longe ab illis alienus, qui eas liberius parvipendunt) in suis elaboratis operibus, et omnigena eruditione refertis, non sine aestimatione commemorat, et saepe eis utitur; quin etiam ipsorum opinionibus non parum defert, iisque innexus in multis christifideles instruit, ut videre est in suo Bullario.

Caeterum, benigne Lector, te admonitione volo, ne existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, ut alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adjudicent. Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem veriorem voco, tum contrariam non habeo ut probabilem, etsi non expresse ut improbabilem damnem. Insuper quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo judicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo: *non audeo damnare*, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed judicio prudentiorum remittere. Si autem observare vis, quodnam Systema tenendum ipse censem circa moralium opinionum electionem, vide cap. 3, in *Tract. altero de Conscientia probabili*, pag. 7, n. 53 et seq.¹ Vale.

* Haec loci indicatio refertur ad octavam editionem. In praesenti vero editione, Systema morale habetur pag. 25, *tract. de Conscientia*, n. 54 et seqq.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB ALEXANDRO VII

Feria 5, die 24 Septembris 1665.

In Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, coram SSmo D. N. Alexandro Papa VII mature discussis infrascriptis propositionibus:

1. Homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei et caritatis ex vi praceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.
2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.
3. Sententiam asserens, bullam Coenae solum prohibere absolutionem haeresis, et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1626, 18 Julii in Consistorio sacr. Congr. Eminentiss. Card. visa et tolerata est.
4. Praelati regulares possunt in foro conscientiae absolvire quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.
5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse haereticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.
6. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione; ac proinde non est denuntiandus.
7. Modus evitandi obligationem denuntianda sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvire absque onere denuntiandi.
8. Duplicatum stipendum potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani octavi.
9. Post decretum Urbani, potest sacerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendi sibi retenta.
10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendum accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam missione etiam juramento firmata, danti stipendum, quod pro nullo alio offeram.
11. Peccata in confessione omissa, seu oblieta, ob instans periculum vitae aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.
12. Mendicantes possunt absolvire a casibus episcopis reservatis, non obtenta ad id episcoporum facultate.
13. Satisfacit praecerto annuae confessionis, qui confitetur Regulari, episcopo praesentato, sed ab eo injuste reprobato.
14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecerto Ecclesiae.
15. Poenitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.
16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.
17. Est licitum religioso vel clero, calumniatorem gravia crimina de se vel sua religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publice et coram gravissimis viris predicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.
 19. Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio reprehensam.
 20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam judicis, eo quod sit poena.
 21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum varet, satisfacit suae obligationi, si officium per alium recitet.
 22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica interveniente pecunia, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.
 23. Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicare praecepto.
 24. Mollities, sodomia et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.
 25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis praecepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.
 26. Quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.
 27. Si liber sit alicuius junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.
 28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura et studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit et decrevit, praedictas propositiones et unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas et prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatione, publice aut privatum tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absvoli.

Insuper districte in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini judicii prohibet omnibus christifidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis ac status, etiam speciali et specialissima nota dignis, ne praedictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad proxim deducant.

Deinde Feria 5, die 18 Martii 1666.

- Propos. 29. In die jejunii, qui saepius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comedenter, non frangit jejuniū.
 30. Omnes officiales qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.
 31. Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei confiant.
 32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.
 33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.
 34. In die Palmarum recitans officium Paschale, satisfacit praecepto.
 35. Unico officio potest quis satisfacere duplice praecepto pro die praesenti, et crastino.
 36. Regulares possunt in foro conscientiae uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata per concilium Tridentinum.
 37. Indulgentiae concessae Regularibus, et revocatae a Paulo quinto, hodie sunt revalidatae.
 38. Mandatum Tridentini, factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non praeceptum.
 39. Illa particula *quamprimum*, intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.
 40. Est probabilis opinio, quae dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum deficiente illa, nimis aegre ageret vitam, et aliae epulæ taedio magno concubinarium afficerent; et alia famula nimis difficile inveniretur.
 42. Licitum est mutuanti, aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.
 43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.
 44. Quoad forum conscientiae, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.
 45. Libri prohibit, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantr.

PROPOSITIONES DAMNATAE

AB INNOCENTIO XI

Feria 5, die 4 Martii 1679.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurriendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis.
 2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.
 3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.
 4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili.
 5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.
 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum caritatis erga Deum.
 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam qua justificari possumus.
 8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.
 9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum, omni penitus caret culpa ac defectu veniali.
 10. Non tenemur proximum diligere actu interno formaliter.
 11. Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.
 12. Vix in saecularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.
 13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicuius tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam ineffaci affectu petere et desiderare: non quidem ex displicentia personae, sed ob aliquod temporale emolummentum.
 14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obvientura est pinguis haereditas.
 15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes dvitias inde ex haereditate consecutas.
 16. Fides non censetur cadere sub praeceptum speciale et secundum se.
 17. Satis est actum fidei semel in vita elicere.
 18. Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri: ut Deo et fidei gloriosum consulere, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.
20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.
21. Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.
22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.
23. Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.
24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.
25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.
26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intellegendi intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.
27. Causa justa utendi his amphiboliis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.
28. Qui mediante commendatione vel munere, ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.
29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.
30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat; et post impactum alapam vel ictum fustis fugiat.
31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.
32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quae actu possidemus, sed etiam ad quae jus inchoatum habemus, et quae nos possessuros speramus.
33. Licitum est tam haeredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel haereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedralm vel praebendam, contra earum possessionem injuste impedientem.
34. Licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.
35. Videtur probable, omnem fetus, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.
36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.
37. Famuli et famulae domesticae possunt occulite heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.
38. Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furtu, quantumcumque sit magna summa totalis.
39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.
40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praeve initio cum intentione lucri.
41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda; et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.
42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.
43. Quidni non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiham falso crimine elidere?
44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.
46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur, quam res spiritualis.
47. Cum dixit concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias proponent: concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo proposito; vel secundo, locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.
48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.
49. Mollities jure naturae prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.
50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.
51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestrulas ad stuprandam virginem; et multoties eidem subservit, deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.
52. Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scando, si absit contemptus.
53. Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.
54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.
55. Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.
56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota praedestinationis.
57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.
58. Non tenetur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.
59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus poenitentium, qualis, verbi gratia, potest contingere in die magnae alicujus festivitatis aut indulgentiae.
60. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.
61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin immo directe et ex proposito querat, aut ei se ingerit.
62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.
63. Licitum est quaerere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.
64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimae Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.
65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

PROPOSITIONES DAMNATAE
AB ALEXANDRO VIII

Cum feria quinta, die 24 Augusti 1690, in Congregatione Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis fuissent in examen adductae duae sequentes propositiones, vide-licet:

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero, in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decursu vitae suaे moralis.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturae rationali et rectae rationi. Theologicum vero et mortale est transgressio libera divinae legis. Philosophicum quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena dignum.

SS. Pontifex primam propositionem declaravit haereticam; secundam, temerariam, scandalosam, etc.

Deinde feria quinta, die 7 Decembris, idem SS. Alexander Papa VIII damnavit sequentes 31 propositiones.

1. In statu naturae lapsae ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et libertate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, Judaei, haeretici aliquique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti, libera nos Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi: si Dei, caritas patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosecutus bonum, mere ut caelestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quae per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; et etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam humanae mercedis intuitu Deo famulatur, caritate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennae non est supernaturalis.

15. Attritio, quae gehennae et poenarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiae Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praeceptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

17. Per illam proxim mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Poenitentiae, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.

19. Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factae, pleraeque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua poenitentia, seu satisfactione, ob quaestum seu lucrum subsidi temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam praetendunt, antequam condignam de delictis suis poenitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quae fiebat a B. V. Maria in die Purificationis suae per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indigerit purificatione, et quod filius qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quae defertur Mariae ut Mariae, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, etc., prae-termissis illis: Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendeo facere quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani octavi *In eminenti* est subreptitia.

Hinc refert addere quinque Propositiones circa Duellum proscriptas a Benedicto XIV in bulla Detestabilem, edita die 10 Nov. anni 1752.

1. Vir militaris, qui nisi offerat vel acceptet duelum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitae ac promeritae spe perpetuo carere deberet, culpa et poena vacaret, sive offerat, sive acceptet duelum.

2. Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duelum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse securitatem, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas poenas ab Ecclesia contra duellantates latas, dux vel officialis militiae acceptans duelum ex gravi metu amissionis famae et officii.

4. Licitum est in statu hominis naturalis acceptare et offerre duelum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis male ordinatae, in qua nimirum, vel negligentia, vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.